



# A D G R A T I A N I CAUSAS XXVII. XXVIII. XXIX.

Et reliquas sequentes ad xxxvi.

## T R A C T A T U S

*De Sponsalibus & Matrimoniis.*

## P R Æ F A T I O .

**N** Causis Matrimonialibus explicandis non repetit ab initio Gratianus, quid Sponsalia, quid Matrimonium, & reliqua quæ ad materiam, formam, vel cærimonias Matrimonij celebrandi pertinent: quamvis hæc omnia possint elici ex variis questionibus, quas tractavit. Ejus itaque Consilium est, ut quoniam vulgò dicitur libera esse debere Matrimonia, explicit ex quibus causa jure divino vel canonico latissima illa potestas coarctetur. Sunt enim multiplicia Matrimoniorum impedimenta, quæ tamen ad summa duo genera solent reduci. Quædam enim Matrimonium contrahendum impediunt, sed jam contractum non dirimunt: quædam vero & contrahendum impediunt, & etiam dirimunt contractum.

Primi generis exempla sunt prohibitio Ecclesiæ, & tempora feriarum, quæ impediunt propter honorem & reverentiam Ecclesiæ debitam, ne Matrimonium contracturi ultrà progrediantur, vel ne tempore prohibito nuptiæ celebrentur.

Prohibitio Ecclesiæ intervenire debet, quoties ad Ecclesiam referuntur justæ & probabiles quædam causæ, quæ videntur obstare Matrimonio contrahendo, v. g. post denunciations & Banna publica: quibus casibus Ecclesia prohibet, ne Matrimonium celebretur, antequam de impedimento ipsa cognoverit. Quod si non obstante prohibitione, contractum fuerit, separari debent conjuges interim, donec de impedimento cognoscitur: qui si vel deficiunt in probatione cum allegaverint illud impedimentum, vel nullum fuisse, aut non tanti momenti constituerit, ut propterea solvatur Matrimonium; viro & uxori pœnitentia injungitur propter contemptum Ecclesiæ. Nec enim conveniens est, ut ob solam prohibitionem Ecclesiæ absque causa aliqua gravissima Sacramentum conjugij dissoluatur cap. 2. extra de Matrim. contra interdictum Ecclesia celebrato. Itaque post pœnitentiam peractam ad conjugium redire tenentur.

Secundum impedimentum non dirimens, si temporibus prohibitis ab Ecclesia nuptiæ celebrentur, non dissoluit quoque Matrimonium, sed pœnitentia injungitur.

Impedimenta verò dirimentia **xiiii.** vulgo numerari solent 1. Error personæ, v. g. si cum existimarem me ducere in uxorem Mariam, tamen Annam ducam. 2. In conditione, si Titiam existimans esse liberam, servilis tamen sit conditionis; quæ servitus in Gallia nostra exulavit: quia illa duo consensum impediunt, qui necessarius est in nuptiis. 3. Impedimentum, Cognatio usque ad quartum gradum inclusivè. 4. Affinitas. 5. publicæ honestatis, quam vocant, justitia. 6. Crimen v. g. incestus, raptus alienæ Sponsæ, &c. Ex Causis tamen criminum quædam impediunt omnino Matrimonium contrahi, & contractum de facto dissoluunt: quædam verò contrahendum impediunt, sed non dissoluunt jam contrahendum. 7. Religionis disparitas: fidelis enim infidelem ducere non potest, & ex causa ista contractum Matrimonium dirimitur. 8. Si vis, coactio & metus intervenerit, non quidem quilibet, sed qui cadat in constantem virum. 9. Impedimentum, si continentiam voverit, & votum expressum fuerit, non tacitum. 10. Si quis ad Ordines sacros promotus fuerit, v. g. ad Subdiaconatum, Diaconatum & Presbyteratum; quia sacris Ordinibus tacite inest & inhæret continentia. 11. Ligaminis impedimentum. 12. Propter impotentiam naturalem. 13. Ætas, si nempe impubes, vel nondum viripotens, id est duodecim annis minor fœmina, & masculus quatuordecim contraxerint Matrimonium.

In progressu tamen ostendemus circa quædam ex impedimentis dirimentibus, quæ numeravimus, multa fuisse immutata & temperata, præcipue circa cognationem, affinitatem, publicæ honestatis justitiam, & cognationem spiritualem & legalem.

Antequam ad **Causæ** 1. materiam veniamus, quæ pertinet ad voti impedimentum: ad illius Causæ & reliquarum evidentiorem intellectum quædam generalia de Sponsalibus & Matrimonio præmittenda sunt. Et quidem Matrimonium contractibus multis occasionem & originem præbet, & ut eleganter loquitur Alexius Comnenus *Novella de Sponsalibus*, duo sunt Matrimoniorum *δέσμων*, sive duo termini Sponsalia & Matrimonium: plures verò intermedij contractus occurunt. Nec enim prima mentio & primus sermo, sive tractatus absoluunt tantum negotium. Incipiendum à Sponsalibus, & desinendum, ut jam diximus, in Matrimonio. Unde Sponsalia rectè definiuntur mentio, sive re promissio futurarum Nuptiarum *Lege 1. ff. de Sponsalibus*. Repromissio verò latissimè accipitur, ut nudum consensum significet, id est etiam sine stipulatione, quamvis sponsalia à spondendo, id est à stipulando nomen acceperint ex juris veteris observatione, quo verbis stipulari & spondere sibi uxores futuras solebant, & inter præsentes tantum. Sublata tandem necessitate stipulationis, quomodocumque interpositus consensus sufficit, vel etiam inter absentes, per procuratorem vel per internuntium *Lege 2. 3. 4. & 5. ff. de Sponsalibus*. Quod & jure canonico receptum, quo & Sponsalia & nuptiæ nudo consensu & inter absentes perfici possunt. Remansit tamen vetus sponsalium nomen, sicut & vetus nuptiarum, quamvis hodie neque stipulatio interveniat, neque in nuptiis flammeo velo *nova nupta*

AD CAUSÆ XXVII. ET SEQQ. DE SPONSAL. ET MATRIM. 101  
caput obnubat: sicut & hodie Baptismi nomen retinemus, licet ritus, à  
quo nomen sumplit, non retineatur.

Plures autem medijs contractus interveniunt inter sponsalia & nuptias,  
v. c. Attrarum datio, sponsalitia largitas, dotis constitutio, donatio ante  
nuptias, quæ propter nuptias etiam vocatur: stipulationes & cautio-  
nes variæ, quæ propter nuptiarum causam interponuntur. Dicimus solere  
intervenire, quamvis & aliquando & præcedere, & sequi contingat,  
veluti dotis datio, & donatio propter nuptias, quæ etiam post peractas  
Nuptias contrahi possunt: sed intellectu juris non immerito accessiones &  
sequelæ Nuptiarum hujusmodi contractus appellantur; quia sine Nuptiis  
consistere non possunt. Ad constituendum enim facilius & conciliandum  
atque corroborandum Matrimonium interveniunt. De hujusmodi con-  
ventionibus variis, quas irridet, D. Chrysostomus in homilia 74. in Matth.  
ita loquitur. *Quis uxorem ducturus quibusnam sit moribus, & quomo-  
do puella educata sit, investigat? nullus omnino; sed quanta pecunia statim,  
& p[ro]fessiones, & variarum rerum & honorum copiam, veluti aliquid emper-  
rus foret, vel communem aliquem contractum peracturus.* Quare & Matri-  
monium Synallagma dicunt: multos enim audiri dicens, ille contraxit  
cum illa, id est conjugio copulati sunt. Ita donum Dei consumelia & inju-  
ria afficiunt, & velui ementes ac vendentes, viri ducunt uxores, et mulie-  
res viris nubant. Stipulationes quoque Nuptiarum ma ore astutia compo-  
nunt, quam eas, quæ in vendendo et emendo confici solent. Discite quomo-  
do veteres Patres uxores ducebant, et imitamini. *Quo pacto ergo ducebant?*  
*Ingenium, mores animi, virtutem quarebant; ac ideo stipulationibus, et*  
*longa instrumentorum serie non indigebant: sufficiebant enim loco illorum om-  
nium mores Sponsæ.*

Sponsalia itaque & contractus illos intermedios Matrimonium conclu-  
dit. Hujus definitionem ex Jurisconsultorum Libris descripsit Gratianus  
intio *Questionis 2. Causæ xxvi 1.* & Alexander III. in cap. 13. extra de  
*Præsumptionibus:* sunt nuptiae viri et mulieris conjunctio individuali-  
vitæ consuetudinem retinens. Quam definitionem si verba & mentem Juriscon-  
sultorum expendamus, effectus tantum declarant Nuptiarum contracta-  
rum, non autem exprimunt causam efficientem, sive Nuptias perficien-  
tem. Modestinus in Lege 1. ff. de ritu Nuptiarum ait, *Nuptias esse con-  
junctionem maris et fœmina, consortium omnis vite, digni et humani juris  
communicationem,* & in Lege 4. Cod. de criminis expilata hereditatis, uxo-  
rem ait, *sociam humana rei et divinae domus suscipi.* In Lege 3. ff. de dona-  
tionibus. separatur his notis uxor à concubina, maritali honore et affectione  
personis comparatis, et vita conjunctione considerata. Pleno enim honore di-  
ligitur uxor, ut loquitur Papinianus in Lege 16. ff. de his quæ ut indignis;  
& in Lege 49. §. 4. ff. de Legatis. 3. dicitur, inter uxorem et concubinam  
nisi dignitate nihil interesse, et animi destinatione Lege 4. ff. de concubinis.

Prima itaque definitionis verba *viri et fœmina conjunctio*, & uxori &  
concubinæ convenient: ideoque Magister Sententiarum lib. 4. Dis. xxvii.  
§. 1. definitioni Jurisconsultorum quædam addidit: *Conjunctio maritalis  
inter legitimas personas.* Quam definitionem D. Thomas & Theologi cer-  
ratim sequuntur. Quibus verbis additis, separatur concubina ab uxore.  
Nam dignitate & honore uxorem differre à concubina probavimus. Et

præterea quas uxores Jure civili ducere prohibemur, in concubinas habere licebat, v. c. libertinas, famosas & scænicas. Cum ingenuis enim mulieribus concubinatus non permittebatur; nisi vel obscuro loco natæ forent, vel corpore quæstum fecissent, vel etiam, si fortè claris natalibus ortæ forent, præcedente testatione manifestum fieret, eas in concubinatum accipi, non in uxorem: alioqui testatione non præcedente, in liberæ mulieris consuetudine non concubinatus, sed Nuptiæ intelligendæ sunt *Lege 3. ff. de concubinis et Lege 24. ff. de ritu Nuptiarum.* Quas omnes differentias inter uxores & concubinas elegantissimè D. Chrysost. comprehendit in *homilia ad illud Apostoli dictum in epist. 1. ad Corinthios: proper fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat: sociam,* inquit, & comitem universæ vitæ, et ingenuam, et ejusdem honoris et dignitatis. Concubina itaque uxorem imitabatur, & legitima eo tempore conjunctio erat.

Sed in hac definitione per verba postrema: *individuam vitæ consuetudinem retinens: separatur uxor à concubina.* Nam à concubina ultrò & sponte, absque alia causa recedi poterat; non autem ab uxore licebat, nisi ex justis & jure probatis causis. Definitio verò hujusmodi, sicut notavimus, & passim Theologi etiam observant, non exprimit & declarat causam efficientem Matrimonij, nec ejus substantiam; sed tantùm effectus, qui sequitur & emanat à præcedente causa, significatur, societas nimirum perpetua omnis vitæ. Tertul. in lib. *ad uxorem*, *convictum appellat, & individuum usum, corporum & animorum conjunctionem individuam.* Unde in *Lege 1. ff. de jure dotium* eo voto & animo dos constitui, & uxor duci dicunt, *ut dos & uxor perpetuò apud maritum maneat.* Diximus *eo voto & animo:* qui animus & propositum necessariò requiritur eo tempore ex utraque parte, quo Matrimonium perficitur: quamvis contingere possit ex justis & legitimis causis ex post facto dissolui Matrimonia, & Jure Civili, & etiam aliquando jure canonico, sicut infra sèpiùs explicabimus. Sed distinguendus est successus & eventus à constitutione & principio contracti Matrimonij.

Causa itaque efficiens Sponsalium & Matrimonij est consensus, sicut & reliquorum contractuum, qui proprium nomen à Jure Civili acceperunt. Non enim aliter nudus consensus contractum posset constituere; nisi vel nomen proprium & comprobationem conventio illa nuda accepisset, vel dationem vel factum contineret in se, ut effectum acciperet *l. 1. 2. 3. 4. 3. ff. de Pactis.* Solo consensu dicimus perfici: nec enim datione, vel facto ullo præcedenti opus est. Non verborum, non scripturæ solemnitas ulla requiritur, *Institutionibus de obligationibus ex consensu, dicta l. 1. §. 1. & Lege 6. ff. de Pactis, Lege 3. & 52. ff. de obligationibus & actionibus.* Sponsalia verò & nuptiæ sunt ex hujusmodi conventionibus, quæ comprobationem & nomen proprium à Jure Civili acceperunt. Sponsalia enim ita sunt appellata à sponsione, sive obligatione verborum, quæ stipulatio appellatur. Et quamvis necessaria postea verba non fuerint; remansit tamen antiquum nomen, ut diximus. Nuptiæ etiam à nubendo, id est velando denominatae, à veteri ritu Romanorum, quo novæ nuptiæ deducebantur velo flammeo obductæ in domum mariti. Quæ solemnitas quamvis abierit in desuetudine, vetus tamen nomen reman-

AD CAUSÆ XXVII. ET SEQQ. DE SPONSAL. ET MATRIM. 10,  
sir. Solus ergo consensus sponsalia & nuptias facit l. 4. ff. de Sponsalib.  
sicut supra probavimus. De nuptiis verò vulgaris est illa Juris regula, so-  
lus consensus, non concubitus Nuptias facit, l. Nuptias ff. de regulis Iuris.  
Solus, inquam; nec enim requiruntur dotalia instrumenta, non verba,  
non scripturæ. Quare absentes, muti, surdi rectè Matrimonium contra-  
hant: potest enim consensus per epistolam, nuntium, procuratorem, vel  
per nutum & signa exprimi can. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 9. Causa xxvii. Qu. 2.  
cap. 23. 24. & 25. extra de Sponsalibus. Qui tamen consensus ab intelli-  
gentibus quod geritur, nec errantibus, & de præsenti exprimi debet d.  
cap. 25. Nec enim potest in futurum conferri; unde in eam rem verba  
quædam formalia & directa præsentis temporis excogitata fuerunt: *Acci-  
pio te in uxorem*; *accipio te in virum*, vel aliqua similia: sicut in Sponsa-  
libus hac verba solent usurpari, quæ in futurum conferuntur, & habent  
tractum temporis: *Accipiam te in uxorem*, vel in virum, cap. perult. de  
Sponsalibus & Matrimonio, cap. 1. & 3. de Sponsa duorum, Magister  
Sententiarum lib. 4. Dist. xxvii. D. Thomas 3. parte Summa Qu. 45.  
art. 3. & 4. Unde distinctio introducta inter fidem pactionis & fidem  
consensus. Fides pactionis confertur in futurum, nempe quando vir &  
mulier invicem promittunt, quod Matrimonio jungentur. Nec obstat  
utrum juramento pactionem etiam firmaverint, vel non. Fides verò con-  
sensus, quando corde & ore consentiunt in Matrimonium, & munus se  
concedit unus alteri, seque invicem suscipiunt. Qua ratione effectum,  
ut si quis mulierem despontaverit per verba exprimentia consensum de  
præsenti, v. g. *ego te accipio in uxorem*; hujusmodi consensus & sponsa-  
lia per omnia comparentur Matrimonio *Capitulis supra citatis*; quæ qui-  
dem Sponsalia idè vocantur de præsenti: quæ tamen meritò usus noster  
non admittit; sicut nec Ecclesiæ veteris. Concludamus itaque Matri-  
monium non nisi consensu in præsens tempus collato & expresso perfici.  
Nec sufficiunt verba indefinita, *cupio*, *desidero*, *rogo*. Itaque ut causam ef-  
ficientem, effectum, substantiam & vinculum Matrimonij una definitio-  
ne comprehendamus; Nuptiæ sive Matrimonium esse videntur conven-  
tio inter legitimas personas, eo animo votoque contracta, ut indivi-  
duam totius vitæ consuetudinem suscipiant. Reliquæ omnia, quæ me-  
dia sunt, vel quæ sequuntur, dotalium instrumentorum confec-  
tio, concubitus, ductio in domum, festivitas & pompa, non sunt  
principalia, nec rem conficiunt. Quæ quidem omnia Jure canonico com-  
probari in sequentibus ostendemus in Causa xxvii. Qu. 2. & Causa xxx.  
Qu. 5. per totum. Alias definitiones refert D. Thomas, & expendit parte 3.  
Qu. 44. art. 1. 2. & 3.

Tria vero bona Matrimonij vulgo commemorari solent à Patribus, si-  
des, proles, Sacramentum. Fides quidem in consensu; proles in procrea-  
tione & educatione liberorum: quæ duo etiam apud Ethnicos & populos  
omnes, qui jure & legibus vivunt, reperiuntur. Apud solos Christianos,  
Sacramentum deprehenditur Canon. omne 27. Qu. 2. Magister Sentent.  
Dist. xxxi. Quæ tria D. Aug. lib. 9. de Genesi ad literam ita explicat. In  
fide attenditur, ne prater vinculum conjugale cum altero vel altera concum-  
batur: in prole, ut amanter suspiciatur, benignè nutritur, religiosè edu-  
cetur: in Sacramento autem non separetur conjugium, & dimissus aus dimis-

sa, nec causa prolixi alteri conjugatur. Hac est tanquam regula nuptiarum, quia vel naturae decoratur fœcunditas, vel incontinentia regitur pravitas. Et apertius idem D. Aug. lib. singulari de bono conjugali cap. 6. Conjugalis concubitus generandi gratia non habet culpam; reddere debitum conjugale nullius est criminis: concupiscentiae vero satiandæ, & exigere ultra generandi necessitatem, sed tamen cum conjuge, propter fidem tori veniale habet culpam. D. Chrysost. homilia in illud Apostoli 1. ad Corinth. cap. 7. propter fornicationem autem unusquisque suam habeat uxorem. Hac duo sunt, quorum causa instituta sunt Nuptiae, ut castè vivamus, & ut patres fiamus: quorum autem duorum principalis est castitatis occasio. Postquam enim ingressa est libido; conjugium quoque ingressum est, ut immoderatum usum resecaret, & persuaderet, ut una muliere contenti esse nos. Non enim omnino conjugium efficit, ut liberos suscipiamus; sed illud Dei verbum cum dixit: Crescite & multiplicamini, & replete terram. Testes sunt quicumque conjugio sunt usi, sed liberos minime generunt. Itaque antecedens est causa castitatis, atque hoc præcipue tempore cum genere humano totus orbis terrarum completus est. Institutio vero Matrimonij à Deo in Paradiso inducta est ante peccatum primorum Parentum: & quidem his verbis, quæ ante peccatum, Spiritu sancto suggeste, Adam pronuntiavit Genes. cap. 2. sub finem: hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Hac vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quam ob rem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhæredit uxori sue, et erunt duo in carne una. In Græca Lectione expressius, ἀνὴρ καὶ γυνὴ ἡ οὐσία. Quæ quidem dictio virago in Symmachus versione tantum reperitur, quam vulgata sequitur. Christus eadem verba repetens Matth. cap. 19. initio subiicit, velut exaggerans. Itaque jam non sunt duo, sed una caro: quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Et Marci 10. initio & Paulus 1. ad Corinth. 6. sub finem, et cap. 7. initio, de prima causa instituendi Matrimonij sic loquitur: propter fornicationem autem unusquisque suam habeat uxorem, &c. Et addit: Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Et iterum cap. 11. initio: Caput mulieris vir appellatur. Quod ita declarat: Non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino. Nam sicut mulier de viro, ita et vir per mulierem: omnia autem ex Deo. Præcipue Apostolus in epist. ad Ephesios 5. institutionem Matrimonij & illius Sacramenti arcana referat, sublimi comparatione allata conjunctionis Christi cum Ecclesia, quæ per Matrimonium repræsentatur; & per consequentias subiicit officium mutuae dilectionis inter maritum & uxorem & eos imitari debere charitatem summam, qua Christus diligit & complectitur Ecclesiam. Concludit autem his verbis notatu dignissimis: Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia. Inculcat iterum in epistola ad Colossenses 3. mutuam dilectionem inter virum & uxorem, ita tamen ut obtemperet mulier; Maritus vero præsit; sed cum comitate & benignitate. Et ut eleganter loquitur ὁ πάπας ἐπος ἐπώ, sub viro sit mulier, sicut epistola ad Rom. cap. 7. Et Proverb. cap. 6. ὁ πάπας similiter appellatur mulier: vetus verso, quæ sub viro est. D. Paulus etiam epist. 1. ad Timoth. 4. propheticō spiritu pronuntiat, & damnat hæreticos illos, qui novissimis

## AD CAUSÆ XXVII. ET SEQQ. DE SPONSAL. ET MATRIM. 109

novissimis temporibus adversus Nuptias insurrecti erant: quamvis manifestis locis Scripturarum convincerentur, quæ supra citavimus. Et Christus ipse præsentia sua Nuptias comprobare, & insigni miraculo in Cana Galileæ illustres reddere voluit: à quo miraculorum principium fecisse ait D. Joannes cap. 2. D. Paulus ad Hebreos cap. ult. initio: *honorable connubium in omnibus, & torus immaculatus: fornicatores enim & adulteros judicabit Deus.* D. Petrus epist. 1. cap. 3. admonet subjectas esse vi-  
ris mulieres debere, cultum & ornatum curiosiorem vitare; & vicissim vi-  
ros cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori yasculo mulieri  
indulgere, temperari & moderari.

Hactenus jecimus firma & immutabilia ex sacris Scripturis Matrimonij funda-  
menta, quibus omnia quæ in posterum inaedificabimus, imponi & fulciri  
possint, sive ex Conciliis, sive ex Pontificum aut Patrum scriptis fuerint de-  
ducta. Ex quibus præmittimus illustriores quasdam explicationes ad sinceram  
& veram de Matrimonio doctrinam planè necessarias. D. Ignatius in epist. ad  
Polycarpum: *Decet vero, ut ducentes uxores & nubentes Episcopi arbitrio con-  
jungantur, ut Nuptia juxta Domini præceptum sint; non autem ad concu-  
piscientiam.* Et epist ad Philadelphienses: *Virgines, solum Christum in pre-  
cibus vestris ante oculos habete, & Patrem illius, illuminatæ à Spiritu  
sancto. Utinam fruas vestra sanctimonia, ut Helia, ut Iesu filij Nava,  
ut Melchisedech, ut Flisei, ut Ieremie, ut Ioannis Baptista, ut Timo-  
thei, Tui, Evodij, Clementis, qui in castitate egerunt hanc vitam. Non  
quod vituperem relatos, quod rei uxoria dederint se, horum tanum memi-  
ni. Opto enim ut dignus sim in Regno Cælorum ad horum pedes inveniri,  
ut Abrahæ, Isaac, Iacob, & Joseph, Isaiae & aliorum Prophetarum; ut  
Petri & Pauli & aliorum Apostolorum, qui nuptiis operam dederunt. Sed  
studio ac propensione animi ad rem, illos ego sum recordatus. Nec mentio  
Pauli inter conjugatos est eradenda, sicut recte in ultima editione Epi-  
stolarum D. Ignatij notatur; quem & conjugatum fuisse plurimi ex Pa-  
tribus Græcis & Latinis asseruerunt: in qua sententia fuisse D. Chryso-  
stomum in scriptis D. Pauli versatissimum, notissimum est pluribus in lo-  
cis, præcipue vero in elegantissimo libro de Virginitate, ut adnotaverunt  
& ex pluribus locis confirmaverunt doctissimi viri Joannes Livineius &  
Fronto Ducæus, initio Notarum ad dictum librum de Virginitate. Tertul-  
lianis lib. de Monogamia ita Matrimonium definit: *Matrimonium est,*  
*cum Deus jungit duos in carnem unam, aut vincos deprehendens in eadem*  
*carne conjunctionis signavit.* Et lib. 2. ad uxorem. Unde sufficiamus ad  
enarrandam felicitatem ejus Matrimonij, quod Ecclesia conciliat, &  
confirmat oblatio, & obsignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater ra-  
tam habet. Nam nec in terris filij sine consensu patrum recte & jure nu-  
bunt. Et in lib. 1. ad uxorem, adversus hæresim Marcionistarum, qui  
nuptias omnino damnabant & jubebant dissolui: viderint, qui inter cetera  
perversitatum suarum dogmata disjungere docent carnem, in duobus unam negan-  
tes, eum qui fœminam de masculo mutuatus, duo corpora ex ejusdem ma-  
teria confortio sumpta, rursus in se Matrimonij computatione compegt.  
Denique prohiberi nuptias nusquam omnino legitimus, ut bonum scilicet: quid  
tamen bono isto melius sit accipimus ab Apostolo permittente illud propter in-  
sidias temptationum, hoc propter angustias temporum. Deinde persequitur*

laudes virginianis illustrissimo stylo; Marcionistas vero præcipue refellit, quibus similes Tatiani, Manichæi, Hieracitæ, qui & Aæriani, & maximè Eustathiani, qui in Synodo Gangreni damnati fuerunt, quia Nuptias prohibebant, & contractas simulato prætextu continentia dissolu suadebant. Qui omnes Encratitæ vocati sunt: sicut contrà alij hæretici Jovinianus & Vigilantius Nuptias ejusdem meriti cum Virginitate improbè asserebant: imò & ipse Tertullianus, quem ideò hæreticum fuisse factum ait D. Augustinus lib. de hæresibus; quia transiens ad Cataphryges, quos antè destruxerat, cœpit etiam secundas Nuptias contra Apostolicam doctrinam damnare.

Seligamus aliqua Patrum loca, quæ instituto nostro convenienter maximè. D. Chrysostomus homilia 15. in Genesim enarrat doctissimè Matrimonij institutionem in Paradiso, quam plenius explanavit tribus homiliis 18. 19. & 28. tomis 5. in quibus de Matrimonij institutione, dignitate & indissolubilitate tractavit: potissimum vero in homilia 28. in explicatione illorum verborum: erunt duo in carne una. Est uxor membrum nostrum necessarium, & hoc potissimum nomine ei debetur benevolentia: quod & D. Paulus his verbis præcipit: sic debent mariti uxores suas diligere, sicut propria corpora. Nemo enim unquam suum corpus odio habuit, sed nimirum & fovet illud, ut Christus Ecclesiam; quoniam membra sumus ejusdem corporis, ex carne ejus et ossibus ejus. Magnum his verbis subindicavit Mysterium, dicens ex carne ejus et ossibus. Sicut Eva, inquit, ex latere Adami prodit; ita et nos è Christi latere: hoc enim ex carne ejus et ossibus ejus. Sed Eva quidem ex latere Adami prognatam scimus omnes, et diserte hoc inscriptura legitur; quod immisit in eum soporem, et exempta una è costis eius, edificavit eam in mulierem. Quod autem Ecclesia è Christi latere sit orta, undenando discere possumus: Hoc quoque scriptura indicat. Postquam enim Christus in crucem sublatus & afflatus expiravit, denique accedens unus militum pupugit latus ipsius: & exiit inde sanguis & aqua, et ex illa aqua et sanguinea tota constat Ecclesia. Testis est ipse dicens, quod nisi quis renascatur ex aqua et Spiritu, non potest introire in Regnum cœlorum. Sanguinem appetat Spiritum: & nascimur quidem per aquam Baptismatis; alimur autem per sanguinem. Vides quomodo simus ex carne ejus, dum ex sanguine illo et aqua cum nascimur, cum alimur. Et quemadmodum Adamo dormiente, mulier est condita; sic Christo mortuo, facta est Ecclesia ex ejus latere. Quo ex insigni loco unionis Christi cum Ecclesia per Matrimonium repræsentatio exhibetur: quam iterum, sed brevius repetit homilia 20. in cap. 5. epistola ad Ephesios, in qua haec verba notanda tuncmo 5. novi Testamenti pag. 1038. Quomodo membra Christi sumus? quoniam sicut ipse facti sumus. Et quomodo ex carne? scilicet quicumque estis participes Mysteriorum: ex illo enim statim resurgimus. Et posteā: sicut Christus absque coitu ex Spiritu sancto factus est; ita et nos nascimur in lacro. Et iterum: quemadmodum Dei filius natura nostra factus est; ita nos ejus sustinuit: et sicut ille nos in seipso habet; ita et eum nos habemus in nobis. Et postquam explicavit quomodo in Matrimonio ex duobus unum corpus fiat, ex verbis D. Pauli concludit, quæ omnino convincunt Matrimonium esse Sacramentum. Duo, inquit, ponit exempla, nempe Christi et corporis: Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et Ecclesia. Quid est

magnum mysterium, inquis? Quoniam magnum quid et admirabile tacitè significavit beatus Moyses: imò verò ipse Deus. Interim dicit: in Christo dico: quoniam et ipse dimisso Patre descendit, et venit ad Sponsam, et factus est in Spiritum unum. Quibus verbis unionem Christi cum Ecclesia significat. Et postea: Qui adharet Domino, est unus Spiritus ( singulorum fidelium unionem cum Deo exprimit ) & pulchre dixit: Magnum mysterium est: perinde ac si diceret: ast allegoria ista non everit dilectionem conjugalem. Verumtamen & vos singuli, unusquisque suam uxorem sicut seipsum diligat: uxor autem reveratur virum suum. Revera enim, revera mysterium est, & magnum mysterium! eo qui procreavit, qui genuit, qui educavit; eaque quæ concepit, quæ cum dolore & afflictione peperit: qui tot & tantis beneficiis affecerunt, cum quibus usus diutinus & consuetudo, relictis; ei adhærere, quæ ne visa quidem fuit, & cum eo nihil habet commune, & eam omnibus präferre. Revera est mysterium arcanam quamdam habens sapientiam, & quæ sequuntur. Quibus locis insurgit adversus hæreticos, qui Matrimonium negant esse sacramentum, contra manifesta D. Pauli verba, omniumque Patrum in unam sententiam concorditer convenientium. D. Hieronymus ad finem capituli 5. dictæ epistolæ ad Ephesios. Ad exhortationes mutui affectus inter uxorem & virum, Adam & Eva sumpsit exemplum; ut quomodo costa tollitur a Adam, & adificatur in conjugem, & ipsa rursum conjux in Adam viri carnem redigitur; quia qui uxorem diligit, seipsum diligit: sic & nos nostras amemus uxores. Idipsum autem per allegoriam in Christo interpretatur & in Ecclesia; ut Adam Christum, & Eva präfiguraret Ecclesiam. Factus est enim novissimus Adam in Spiritum vivificantem: & quomodo de Adam & uxore omne hominum nascitur genus; sic de Christo & Ecclesia omnis credentium multitudo generata est, quæ unum corpus Ecclesia effecta, rursum in latere Christi ponitur, & costa locum replet, & unum viri corpus efficiunt; ipso Domino id in Evangelio postulante, Pater da, ut quomodo ego & tu unum sumus; sic & ipsi in nobis unum sint. Et idem in hæc verba, propterea relinquet homo, &c. Primus enim homo & primus vates Adam hoc de Christo & Ecclesia prophetavit; quod reliquerit Dominus noster Salvator Patrem suum Deum, & matrem suam cælestem Hierusalem, et venerit ad terras propter suum corpus Ecclesiam, et de suo eam latere fabricatus sit, et propter illam Verbum caro factum sit. Et quia non omnia aequalia Sacra menta sunt, sed est aliud Sacramentum majus, et Sacramentum aliud minus: propterea nunc dicit, Sacramentum hoc magnum est.

Quibus ex locis, sicut attigimus, per Matrimonium duæ uniones Christi præfigurantur; altera, qua Christus Ecclesiæ, cuius caput est, sicut vir uxor, per charitatem unitur: altera, qua per Incarnationem & assumptam natu ram humanam Verbum Caro factum est. Ex gemina & duplici illa unione Theologi & Canonistæ recentiores differentiam deduxerunt inter Matrimonium ratum & consummatum. Ratum Matrimonium dicitur, quod per so lum consensum perficitur, etiam non secuta copula; quod & in ratione Sacramenti perfectum intelligitur: representatur enim unio Christi cum Ecclesia per charitatem. Quod si præterea subsequatur conjunctio corporum, repræsentatur Incarnationis mysterium: quæ repræsentatio pleniorem & expressiorem unionem Christi cum Ecclesia exhibet per Incar-

nationem, & ut loquuntur Theologi, per naturæ conformitatem. Quamvis autem utroque casu perfectum sit & dicatur Matrimonium: differentiæ tamen quædam maximi momenti occurunt, v. c. nulla potestate humana consummatum Matrimonium potest dirimi; ne quidem si proposito vitæ perfectioris alter conjugum, altero volente, velit transire in Religionem: si verò ratum tantum proponatur Matrimonium, alteruter conjugum, etiam invito altero, poterit Monachatum amplecti. Itemque ex gravissimis causis Summi Pontifices ratum aliquando Matrimonium dissolvunt; consummatum verò dissolvere non possunt. Magister Sentent. Dist. xxvi. sub finem, & Dist. xxvii. & apud Gratianum *Causa xxvii.* *Qu.* 2. *per totum*, D. Thomas *Qu. 42 de Matrimonio art. 4.* & Arcadius *ib. 7. de Matrimonio cap. 1. et 2.* Brevissime D. Augustinus universam Matrimonij materiam perstringit *lib. 1. ad Bonifacium urbis Romana Episcopum cap. 2.* in quo respondet calumniis Pelagianorum, qui ex ejus scriptis depravatis, id est ex *lib. de Nuptiis et Concupiscentia ejusdem D. Augustini*, malitiosè colligebant istas, quæ modo aguntur, Nuptias à Deo institutas non fuisse: quibus ita respondet D. Augustinus. *Nunc ergo respondeo à Deo Nuptias institutas fuisse;* et tunc, quando dictum est. Propterea relinquet homo Patrem suum et matrem suam, et adhæredit uxori suæ, et erunt duo in carne una; et nunc, propter quod scriptum; à Domino conjungitur viro mulier. Neque enim aliud fit etiam nunc, quam illud, ut adhæreat homo uxori suæ, et sint duo in carne una. De ipsis quippe Nuptiis, quæ nunc quoque fiunt, consultus est Dominus à Iudeis, utrum liceret quacumque lege dimittere uxorem: et isto commemorato legis testimonio, adjunxit: quod ergo conjunxit Deus, homo non separat. Hoc Legis testimonium adhibuit etiam sanctus Apostolus Paulus, cum viros moneret, ut ab eis diligenterent uxores. Absit ergo, ut in libro meo contra testimonia divina iste (Pelagius) aliquid legerit. Prætermittam cætera D. Augustini loca, quo nullus Patrum Latinorum accuratiùs & pleniùs de Matrimonio scripsit; ideoque ex eo Collectores Canonum ante Gratianum, & Gratianus ipse in ista parte de Matrimonio plura ex D. Augustino, quam ex reliquis omnibus Patribus desumpsit. Compendium verò universæ materiæ de Matrimonio, præter eos Libros, in quibus data opera egit, continetur *lib. 4. de Civitate Dei cap. 18. 19. 21. 22. 23. 24. et lib. 15. cap. 16.*

Ex his omnibus scripturæ & Patrum locis meritò colligitur, Ecclesiam inter Sacraenta novæ Legis, quæ gratiam conferunt, Matrimonium reposuisse. Quam in rem celebre est decretum Lucij III. summi Pontificis in consensu plurimorum Episcoporum, & ipsius Imperatoris Friderici pronuntiatum, quod extat in *capitulo ad abolendam extra de hereticis*, in quo contra hæreticos illius temporis Matrimonium inter Sacraenta numeratur. *Quod & apertissimè declaravit Concilium Florentinum sub Eugenio IV. in Decreto pro Armeniis*, in quo novæ Legis septem Sacraenta numerantur, & inter ea Matrimonium: quæ quidem dicuntur multum differre à Sacraenta antiquæ Legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per Passionem Christi dandam esse significabant: hæc verò nostra et continent gratiam, et ipsam dignè suscipientibus conferunt. Et quidem quinque ex illis ad spiritualem uniuersu jusque hominis in seipso perfectionem;

duo ultima, nempe *Ordo & Matrimonium* ad totius Ecclesiae regimen multiplica ionemque ordinata sunt. Et per Ordinem quidem Ecclesia gubernatur & spiritualiter multiplicatur; per Matrimonium vero corporaliter augetur. Quæ quidem omnia Sacraenta ait tribus rebus perfici, materia, forma, & Persona Ministri. Et in d. Decreto subiiciuntur quædam ad Matrimonij Sacramentum valde notanda, quæ & suprà explicavimus; præcipue quod ad indissolubilitatem Matrimonij pertinet, quod significat indissolubilem conjunctionem Christi cum Ecclesia; adeò ut quamvis ex causa fornicationis admittatur tori separatio, non tamen aliud postea Matrimonium fas sit contrabere; quia Matrimonij legitime contracti vinculum est perpetuum. Notandum vero illius decreti doctrinam excerptam fuisse fere ad verbum ex quinque Opusculis D. Thomæ de articulis & Sacramentis Ecclesie.

Supereft ut attingamus, quid materia, & quid forma sit in Matrimonio. Et quidem verior illa videtur opinio, materiam remotam, circa quam Matrimonium versatur, estè personas contrahentes, dummodo nullum impedimentum dirimens obſistat; materiam vero proximam, ex qua perficitur Matrimonium, esse consensum utriusque viri & mulieris separatim & per se consideratum, & quatenus à singulis profertur, sive per verba, sive per signa. Idem etiam consensus pro forma diverso respectu accipitur, nempe quatenus utriusque consensus mutuo & invicem alter alterum perficit & determinat, & compleat in ratione contractus & pactiōnis, sicut Theologi loquuntur: uno verbo, acceptatio. Quod pleniū Theologi recentiores tractare solent. Apertissimè doctissimi duo Philip-  
pus Gamachæus tomo 3. Summa Theologica in tract. de Matrimonij Sa-  
cramento cap. 4. de materia & forma, & Arcadius de Concordia Eccle-  
siae Occidentalis et Orientalis in septem Sacramentorum administratione lib.  
7. de Matrimonio cap. 2.

## AD QUÆSTIONEM I.

## Causæ XXVI.

**P**Ost expositum generalem tractatum de Matrimonio, & declaratam methodum Gratiani, quam diximus hujusmodi fuisse, ut de singulis Matrimonij impedimentis separatim tractaret; consequens est ut Gratianum secuti eodem, quo ille, ordine de singulis impedimentis agamus: quod & erit commodum. Cum enim edictum de Matrimonio prohibitorium sit, ut scilicet omnes, qui non prohibentur contrahere Matrimonium, admittantur ad illud contrahendum cap. 23. extra de Sponsalibus et Matrimonii; intelligetur reliquas omnes personas, quas ostendemus non contineri prohibitione, idoneas esse ad contrahendum Matrimonium. Impedimenta vero distinximus in duas species: quædam contrahendo quidem Matrimonio obstant; sed semel contractum postea non dissolvunt: quædam & impediunt contrahi, & semel contractum postea dissolvunt; quæ quidem postrema, si rem penitus inspiciamus, potius Matrimoniu de facto contractum, quam jure perfectum dissolvunt. Semel enim perfectum & consummatum Matrimonium nulla potestate dissolvi potest.

Inter hujusmodi impedimenta votum numeratur, à quo incipit

Gratianus. Sic enim inscribit Questionem 1. *hujus Causa xxvii.* Quod  
voventes *Matrimonia contrahere non possint*: quam quæstionem proposue-  
rat etiam antea in *Dist. xxvi i.* & *Causa xvii.* Qu. 1. & 2. allatis simi-  
libus & pugnantibus locis Conciliorum & Patrum, & etiam propriis  
conciliationibus. Ex quibus omnibus colligitur omnes utriusque sexus,  
qui voto castitatis suscepto, à sacris Scripturis laudato & recepto, &  
communi Ecclesiæ consensu servato, se se addixerunt solemniter, adhi-  
bitis scilicet solemnitatibus, quæ Ecclesiæ autoritate in votorum nuncu-  
patione solemn desiderantur, non posse amplius Nuptias contrahere:  
quod si de facto contraxerint, omnimodo Nuptias dirimi, non solum  
tanquam adulteria, sed etiam velut sacrilegia.

Dicimus sacris Scripturis laudari virginitatis votum, & velut ad perfectio-  
nem pertinens, ad id fideles incitari; ideoque votum non fuisse præceptum  
nominatum, sed consilium datum. Quod constat ex S. Matth. cap. 19.  
ibi: *Sunt Eunuchi, qui seipsostr castraverunt propter Regnum Cœlorum,*  
& ex D. Paulo ad Corinth. 1. cap. 7. ibi: *De virginibus autem præceptum*  
*Domini non habeo: consilium autem do tanquam misericordiam consecu-*  
*tus à Domino, ut sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse. Et deinde:*  
*Et mulier innupta & virgo cogitat, quæ Domini sunt ut sit sancta corpore*  
*& spiritu. Et item 1. ad Timoth. cap. 5. Adolescentiores autem viduas*  
*devita: cum enim luxuriæ fuerint in Christo, nubere volunt, habent s-*  
*d. mnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Ex quibus locis colli-*  
*gimus continentiam virginum utriusque sexus prædicatam, laudatam &*  
*Matrimonio prælatam fuisse à Christo & Apostolis; absque Matrimonij*  
*tamen contumelia: quod & honorabile idem Apostolus vocat ad Heb.*  
*cap. 13. sicut rectissimè Patres Græci & Latini interpretantur. Breviter*  
D. Chrysostomus ad Psal. 50. sub finem: *Tria hac sunt virginitas, Ma-*  
*trimonium, fornicatio. Matrimonium tenet locum medium, fornicatio in-*  
*simum, virginitas summum. Virginitas coronam habet, Matrimonium*  
*laudem; fornicatio pœnam et cruciatum. Idem D. Chrysostomus ad locum*  
*et statum Matth. homil. 63. His omnibus occultè ad optandam eligendam*  
*que virginitatem inducit: possibile namque id esse hominibus hoc fere*  
*modo confirmat. Cogita tecum, si aut à natura Eunuchus es, aut in-*  
*juria hominum sic effectus, quid faceros; cum et hujusmodi voluptate careres,*  
*& nullam carendo mercedem consequeris? Gratias igitur Deo agas, quia*  
*magna pœmia rutilantesque coronas habebis, si ita vivas; quemadmodum*  
*sine aliquo illi pœmio: immò vero multò facilius, tutiū atque jucundius;*  
*tum quia spe retributionis corroboraris; tum quia conscientia virtutis gaudes.*  
Eademque ferè Theodoreetus in loca Epistolarum D. Pauli suprà citata. Sed  
studiofissimè ad effectum perduxit Ecclesia, institutis frequentissimis utriusque  
sexus Collegiis & cœtibus, qui Religionis & Christianæ Philosophiae arden-  
tiori Zelo commoti, perpetua virginitatis servanda voto se abstringebant.  
Ignatius beatis Apostolis vicinus in epistola 5. ad Philippienses sub finem,  
Collegij virginum & cœtus viduarum meminit. Et in epist. 6. ad Phila-  
delphienses, virgines spiritu illuminatas vocat. Et in fine epist. 7. ad Smir-  
nenses αὐταρέβες appellat. Et in epistola 9. ad Antiochenos, virgines  
agnoscant, cui se consecrarunt. Votum manifestè significat; unde in fine  
χρυσολύτου Virgines vocat, id est quas Christus in Sponsas accepit. Quæ

## AD CAUSÆ XXVII. ET SEQQ. DE SPONSAL. ET MATRIM. III

Novatores ferre non possunt. Sed eos Tertullianus lib. de velandis Virginibus profligat, in quo describit votum continentiae & oblationis ipsius corporis & spiritus, quæ Deo fit; cum virgo ipsam naturam consecrat & dedicat; cum nubit Christo, illi tradit carnem, & Sponsat maturitatem suam. Idem in lib. de Monogamia tractans locum Apost. 1. ad Timoth. cap. 4. habentes judicium, quod primam fidem resciderunt: illam scilicet, quam in viduitate vel in virginitate professæ erant, & non perseverant. D. Cyprianus de habitu virginum & in epistola 62. ad Pompeium, quæ ad nostram quæstionem maximè pertinet, ex qua hæc verba in occasionem cavillandi rapiunt quidam, ut inferant virginies etiam post votum ad Nuptias posse transire. *Quod si ex fide se Christo dicaverunt, pudice & casie, sine ulla fabula perseverent; ita fortes & stabiles præmium virginitatis expectent. Si autem perseverare nolunt, vel non possunt, melius nubant, quam in ignem delictis suis cadant.* Quæ verba Pamelius & recentiores quidam doctissimi accipiunt de virginibus, quæ necdùm velatae & professæ virginitatem fuerunt solemnii voto, sed tantum, ut loquimur, simplici voto se obstrinxerint. Nisi malimus nondùm planè constitutis in Africa virginum consecrandarum ritibus, cum dispensatione & venia, metu majoris scandali D. Cypriani fuisse locutum, ut ex contextu totius Epistolæ colligere licet; non quod in posterum hanc veniam promitteret. D. Athanasius tomo 1. in Apologia ad Constantimum Imperatorem. *Christus inter cetera dona sua virginitatem nobis est largitus, exempla euangelica sanctitatis. Certè puellas ea virtute præditas Sponsas Christi Catholica Ecclesia appellare solita est, quas Ethnici videntes ut templum admirantur. Nusquam enim alibi sanctum illud & caeleste æterne virginitatis mandatum feliciter adimpletur, nisi apud solos Christianos &c.* Et addit: ideo virgines appellari membra Christi propriæ, quoniam soli Salvatori nostro membra sua dedicaverunt. Optatus Milevitanus lib. 6. loco insigni, de usu Ecclesiæ Africanæ circa virginum professionem & votum & habitum, professionis, consecrationis, abscissionis capillorum apertissimè meminit. Quinetiam & velamenti capitinis formam expónens, ita loquitur: *Spiritale nubendi hoc genus est. In Nuptias Sponsi jam venerant voluntate & professione sua, & ut secularibus Nuptiis renuntiasse monstrarent, spirituali Sponso sovlebant crinem, jam caelestes celebraverant Nuptias &c.* Et postea: *Nudatus denuò capita jam velata, de quibus professionis detractionis indicia, que contra raptores aut petidores videntur inventa. In Mirella judicium est voluntatis, non castitatis auxilium, ut rem jam Dea devotam, ne qui sponsabat, perseveret petere, aut ne raptor audeat violare: signum est ergo, non Sacramentum.* Eodem ferè tempore D. Ambrosius in eam rem apertissimè plurima scripsit tribus libris de virginibus ad Marcellam sororem, quam initio lib. 3. Liberio summo Pontifici vovisse virginitatem ait his verbis. *Namque is (scilicet Liberius) cum in Salvatoris natali ad B. Apostolum Petrum virginitatem professionem, vestis quoque mutatione signares, atque astantibus etiam pueris Dei compluribus, que certarent invicem de tua societate: Bonas, inquit, filia Nuptias desiderasti &c.* Præcipue vero in medio dicti lib. 3: adverlus objectiones quorundam fidelium. *Si quis igitur putat consecratione virginum minus genus humanum, consideret quia ubi paucæ virginis, ibi etiam pauciores homines;*

ubi studia virginitatis crebriora, ibi numerum hominum quoque esse maiorem. Discite quantas Alexandrina totiusque Orientis & Africana Ecclesia quotannis sacrare consueverint. Pauciores hic homines prodeunt, quam illic consecrantur virgines. Et paulò post: Aliunt etiam plerique maturioris aetatis virgines esse velandas. Neque ego abnuo Sacerdotalis esse cautionis debere, ut non temere puella veletur. Spectet plane, spectet aetatem Sacerdos, sed fidei vel pudoris. Spectet maturitatem verecundia, examinet gravitatis canitatem, morum senectam, pudicitia annos, animos castitatis &c. Non ergo aetas reiicitur florentior, sed animus examinatur. Idem D. Ambrosius lib. de Institutione Virginis cap. 17. & iterum lib. ad virginem lapsam cap. 5. ritus omnes professionis exponit: Non es memoratu diei sanctae Dominice Resurrectionis, in quo divinitati te obtulisti velandam. Et posteā: Servarete oportuit fidem, quam sub tantis testibus pollicita es, semper cogitare, cui virginitatem spoponderis. Et posteā: his tunc in illo die consecrationis tuae dictis, & multis supra castitatem praconis, sacro velamine teclata es, ubi omnis populus dotem tuam subscriptens, non atramento, sed spiritu pariter clamavit Amen. Dicit aliquis melius est nubere quam uriri. Hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam: ceterum quæ se spopondit Christo, & sanctum velamen accedit, jam nupsit, jam viro immortali juncta est: & jam si voluerit nubere communi lege conjugij, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. Et in cap. ultimo Corruptorem virginis vocat corruptorem templi ei, qui uno scelere duo crimina perpetravit, adulterium & sacrilegium. Quare mirum non est, si quando post votum & professionem audeant contrahere Matrimonia Monachi vel Sanctimoniales, hujusmodi conjunctiones tanquam nefarior & sacrilegas dissolvantur.

Quam in rem sicut & ad confirmanda ea, quæ diximus, observatione dignissimi sunt Concilij Ancyrani Can. 18. Carthaginensis Can. 4. & 16. Africani Can. 11. & 93. Concilij Carthag. IIII. Can. 4. & 33. Chalcedonensis generalis 7. & 16. Synodi sextæ in Trullo. Canones 44. 45. & 46. & Can. 18. & 68. D. Basilij: quibus meritò addendus D. Chrysostomus in elegantissimis duabus admonitionibus ad Theodorum lapsum. Accedunt Occidentalium Syricij, Innocentij, Leonis, Gelasij, Gregorij, aliorumque Summ. Pontificum similia super eadem re Decreta, & reliquorum sanctæ Ecclesie Patrum, D. Hieronymi, D. Augustini & aliorum autoritates, quas Collectores Canonum Burchardus & Ivo colligerunt, & postremo Gratianus locis initio citatis, & Magister sentent. lib. 4. Dist. xxxviii. eosque secutus D. Thomas 3. parte Summa Qu. 53. art. 1. & 2. Qui ferè omnes in hanc sententiam conveniunt, ut votum definiant; alicujus boni cum animi deliberatione Deo factam promissionem. Debet enim diligenter examinare qui votet, an sibi expedit, & utrum in voto perseverare valeat. Deinde requiritur, ut firmum sit hujusmodi propositum. Postremo illa promissio necessaria est.

Quoniam autem diximus fieri promissionem hujusmodi, sequitur solo animo absque ulla solemnitate speciali posse fieri: & hoc votum appellatur simplex, quod intus, mente, solo animo & nuda promissione concipitur. Appellatur vero votum solempne, quando homo actu se dedicat Deo, videlicet vel per Sacri Ordinis susceptionem, vel per professionem probata.

**AD CAUSÆ XXVII. ET SEQQ. DE SPONSAL. ET MATRIM.** 112  
batæ Regulæ, tacitè vel expressè factam, modo legitimo & solemnii. Quam quidem professionem, si de virginibus agatur, recipit Episcopus; si de Monachis, Abbas vel alius Superior; eodemque tempore novum habitum, vestem novam, velum & alia, quæ à professis gestari solent, novus professus induit, in locis nempe, quibus est alius habitus & vestis Novitiorum & Professorum. Contingit enim aliquando & Novitiorum & Professorum eundem esse habitum. Post probationem tamen peractam, secundùm tempora singulis Ordinibus constituta, hujusmodi vestis & habitus & regulæ professio emittitur, ad evidentiorem probationem scriptura interveniente. Quæ omnia confirmantur *Can. 1. & 3. Causa xvii. Qu. 2. Can. 2. 3. 8. 9. 10. 16. 17. 34. 35. 36. & 37. hac nostra Causa xxvii. Qu. 1.* Ex quibus Canonibus Theologi & Canonistæ veteres & recentiores differentiam deducunt, quam supra attulimus inter vota simplicia & solemnia. Qua de re gravissimæ controversiæ sèpissimè exortæ fuerunt, ut colligitur ex *cap. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 16. & 17. extra de Regularibus, & cap. 3. 4. 5. 6. & 7. extra Qui Clerici vel voventes.* Et postremò Bonifacius VIII. *cap. unico de voto in vi.* manifestiūs definit utrumque votum. Et quidem votum soleme definit, quod solemnisatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis, aut per professionem expressam vel tacitam, factam de Religionibus per Apostolicam Sedeim approbatis. Reliqua omnia vota, licet manifestiūs emissā, quod ad materiam nostram pertinet, non possunt rescindere Matrimonia posteà contracta; & intelliguntur esse simplicia: quæ etsi impedian Matrimonium contrahendum, semel tamen contractum posteà non dirimunt. Violatoribus tamen votorum simplicium, quanto manifestiūs fuerint emissā, tanto propter plurimum scandalum & exemplum durior pœnitentia injungitur *dicto capit. unico.* Quod & veteribus Canonibus obtinuisse constat ex plerisque Canonibus, quos in *hac Quest.* Gratianus retulit: quibus juvabit addere elegantissimam *epistolam Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi 157.* Tandemque Concilio Tridentino apertissimè iterum sancitum in *Sessione 24. de Matrim. Can. 9. & sessione 25. de Regularibus cap. 15.* post expletum annum probationis, & transactum in habitu suscepto initio probationis, factam professionem post annum 16. valere; antea factam nullam esse.

## AD QUÆSTIONEM 2.

### Causa xxvii.

**Q**UÆ pertinent ad decisionem Quæstionum quæ continentur in *hac Qu. 2.* ferè omnia explicare antevertimus in tractatu generali de Matrimonio, & in explicatione i. Quæstionis.

In hac verò 2. Quæst. hæc quæstio excutitur, *an puella alteri desponsata possint renuntiare priori conditioni, & vota sua transferre ad alium.* Quæ quæstio in duas iterum resolutur, *an sit conjugium inter illos; 2. an possint ab invicem discedere.* Unde occasione rapta, attingit Gratianus impedimenta quædam, propter quæ non tantum Sponsalia, sed etiam Matrimonium dissolvi omnino potest, v. c. si per vim consensus extortus fuerit, & vis illata; de qua agitur *Can. 33. & 34.* Sicut & in *Can. 29.*

agitur de alio impedimento dirimente, nempe propter frigiditatem & impotentiam coeundi, quæ Matrimonium dissoluit, quod nondum est confirmatum & perfectum corporali commixtione, nec potest perfici propter impedimentum naturale. Quò pertinet quod D. Augustinò tribuitur, dictum in *Can. 16.* *hac Qu.* mulierem non ad Matrimonium pertinere, cum qua commixtio sexus non docetur fuisse. Et ut loquitur D. Leo I. in *Can. seq.* cum societas Nuptiarum ita sit à principio instituta, ut prater commixtione sexuum, haberet in se conjunctionis Christi & Ecclesia Sacramentum; non dubium est illam mulierem non pertinere ad Matrimonium, cum qua docetur non fuisse Nuptiale Mysterium.

Duplicem autem observare debemus Matrimonij perfectionem; alteram, quæ consensu; alteram, quæ per conjunctionem corporum absolutitur. Prima perfectio repræsentat unionem Christi cum Ecclesia, quæ per charitatem fit: altera verò arctiorem ejusdem Christi designat unionem; qua nempe Christus carnem humanam assumpsit per unionem hypostaticam. Addamus & aliud, aliquando Matrimonium initiatum appellari, quod fit per Sponsalia, quæ quidem celebrantur per pactionis fidem: sed vinculum illud, sicut deinde dicemus, non adeò astringit, quin possit solvi. Nam Sponsalia præparant potius, quam faciunt Nuptias: & ut loquitur D. Augustinus *lib. 8. Confessionum cap 3.* ideo instituta fuerunt Sponsalia, ut Sponsæ non statim tradantur, ne vilem habeant Mariti datam, quam non suspiraverit Sponsus dilatam. *Can. 39. hac Qu. 2.* Unde & appellantur Sponsalia, & fieri dicuntur per fidem pactionis *Can. ult. hac Qu. 2.* Cui ascribitur in margine hæc vox *Palca*; quo verbo quid significetur apud Gratianum varie cerrant Interpretes. Quidam enim aiunt Capita, quæ hujusmodi inscriptionem habent, post Gratianum adscripta fuisse; vel etiam ab ipso Gratiano, cùm recognosceret Collectionem, addita fuisse. Alij dicunt illa capita esse incertæ fidei & levissimi momenti. Alij verò à Græco verbo πάτνη, quasi iterum addita à Gratiano. Vel sicut in *Basilicis* vetus Interpres designatur per hæc verba ὁ παλαιὸς, id est vetus Interpres; ita & verbum πάτνη in Gratiano videtur significare vetustiores Gratiano Collectores Canonum. Ut ut sit, quod pertinet ad dictum *Cm. ultimum* doctissimi viri Romani Correctores & Antonius Augustinus apud D. Augustinum non repetiri affirmant. Refertur tamen in *Capitulo 1. de Sponsa duorum* & in *1. Collectione eodem titulo*. Ex quo fluxit vulgaris distinctio Sponsalium de futuro & de præsenti, sive fidei pactionis, & fidei consensus: quam explicat Gratianus, cuius verba perinde ac si Autoris forent, irrepererant in contextum. Fidem pactionis ita explicat, quando aliquis alicui promittit fidem, quod eam ducet, si permiserit ei rem secum habere, vel etiam pro consensu. Quæ verba obscura eam habent sententiam, ut qui post Sponsalia concubitus atque congressus sequitur, sit pro fidei consensu, sive pro Matrimonio præsumpto, pro consensu nuptiali & honesto ac obsequenti rationi, non libidini; adeoque ut fides, quæ ab initio simpliciter de futuro Matrimonio data fuerat, per subsequentem conjunctionem corporum impleta & consummata videatur: & ut loquuntur Jurisconsulti, transformatus & renovatus prior consensus de futuro in psum & præsentem consensum ex sequenti copula præsumatur. Unde sæpe

AD CAUSÆ XXVII. ET SEQQ. DE SPONSAL. ET MATRIM. II,  
in Decretalibus præsumptum Matrimonium appellatur, ut constat ex  
cap. 30 *O ult extra de Sponsalibus & Matrimonis.*

Fides verò consensus quænam sit, explicatur eodem *Canone ult.* de  
consensu præsenti, quo mutuo se concedunt & invicem faciunt potesta-  
tem corporis sui, & mutuò se suscipiant vir in uxorem & uxor in ma-  
ritum. Ex hac distinctione plures decisiones sequi ostendemus, v. g. Spon-  
salia de futuro, non impedire posterius Matrimonium perfectum: sed  
tantùm de fide rupta, id est de perfidia, fidem fallenti pœnitentia im-  
ponit: imo & aliquando, si justa causa subsit, remittitur pœna. Præter-  
ea non impediunt ingressum Religionis Sponsalia de futuro: quæ ali-  
ter se habent, si fides consensus intervenerit, id est Sponsalia, quæ vocant  
de præsenti; vel si consensus de futuro, ut diximus, per copulam se-  
quentem confirmatus fuerit: quo casu Matrimonium præsumptum dici-  
tur, sicut diximus; modò tamen effectus sequatur: nec enim conatus  
sine effectu sufficeret *cap. ult. de Sponsalibus & Matrim.*

Sponsalia etiam de præsenti, quæ purum & perfectum consensum  
absque conditione & tempore continent; vel, si Sponsalia de futuro se-  
quatur copula, alia Sponsalia, imò & Matrimonium sequens impediunt:  
quia fuisse Matrimonium jure dici potest cum eo vel ea qui quæque  
Sponsalia de præsenti, vel Matrimonium præsumptum priùs contra-  
xerat.

Moribus nostris, ut & antiquo Jure Canonum, eoque per Conc. Trid.  
sess. 24. de Reform. Matrimonij cap. 1. revocato, reprobantur hujusmodi  
præsumpta Matrimonia; præsertim si clandestina, & non interveniente au-  
toritate Ecclesiæ celebrata fuerint.

His ita præmissis, facilior aditus patebit ad dissolvendam quæstionem à  
Gratiano propositam ( quæ & multas sub se continet ) nempe utrum puel-  
lae alteri desponsatæ priori conditioni possint renunciare. Ante quam  
eam excusat, querit utrum solus consensus Matrimonium faciat, &  
qualis debeat esse ille consensus. Quam quæstionem in generali tractatu  
absoluimus, nempe consensum interponi de individua vitæ consuetudi-  
ne ineunda inter legitimas personas: conjunctionem verò corporum  
non esse de substantia, sed esse effectum illius causæ, id est consensus.  
Potest enim esse perfectum Matrimonium & perseverare etiam absque con-  
cubitu & conjunctione corporum; non ideo tamen dicendum, quia  
inter Sponsum & Sponsam consensus intervenit, contrahi per conse-  
quens Matrimonium. Non enim ille consensus, ut diximus, præsens  
est, nec habet præsentem obligationem, sed eam reiicit & confert in  
futurum. Nec obstat quod sæpe & in Libris sacris & apud bonos au-  
tores mariti & uxoris nomina tribuantur Sponso & Sponsæ, & conju-  
gij nomen Sponsalibus. Ita enim per anticipationem vocantur, & no-  
mina commutantur; quamvis plurimum inter se differant. Unde recepta  
apud Juris Canonici & Theologiæ sacræ Scriptores, triplex illa distinc-  
tio Matrimonij, initiati, rati & consummati. Initiatum intelligitur per  
Sponsalia de futuro; ratum, sive prima ratione perfectum, per consen-  
sus præsentem: consummatum verò, quod per commixtionem corpora-  
lem effectu ipso, & ultima perfectione confirmatur. Itaque quod Sponsi  
& Sponsæ, itemque Sponsalia, aliquando usurpant conjugum & con-

jugij nomina, illud accidere intelligendum spe futurorum, non re præsentium. Non quod in ipsa desponsatione conjuges fiant; sed quia ex fide, quam ex desponsatione sibi debent invicem, postea efficiuntur conjuges: sicut & concubitus dicebatur jure Decretalium facere Nuptias; si modò fides pactionis, id est sponsalia de futuro præcessissent: quod Matrimonium vulgo præsumptum appellari diximus.

Ex quibus elicimus decisionem primorum quindecim Canonum, ex quibus prima pars hujus 2. Quæstionis constat; in quibus x v. Canonibus Gratianus disputat, & obicit aliquando conjugij & conjugum nomen tribui etiam Sponsalibus & Sponsis. Solutiones quas attulimus, confirmare incipit Gratianus à Can. 16. & 17. & seqq. præcipue verò Can. 31. 32. 33. & 34. à quo Can. 34. tertia pars hujus quæstionis incipit: quod & sequentibus Canonibus confirmat, maxime 39. ad quem ejus nota obser-vanda, & Can. 40. 41. 42. 43. 44. & 45. ad quem ejusdem Gratiani nota, sicut & ad Can. penultimum idem suadet & confirmat.

His ita explicatis, transit Gratianus ad 2. Quæstionem, quam princi-paliter tractandam suscepérat, utrum Sponsus & Sponsa possint ab invi-cem secedere, & quibus casibus: quam quidem non tantum initio proponit, sed etiam in fine adnotacionis suæ ad Canonem 45. repetit his verbis: *Vtrum licet renuntiare conditioni*; id est in fine 3. partis. 4. enim pars incipit à Can. 48. & duobus Canonibus continetur: 5. verò & ultima pars duobus itidem postremis Canonibus. In quæstione verò præcipue intelligenda, animadvertenda est & repetenda explicata distinctio Spon-salium de futuro & de præsenti, & distinctio Matrimonij initiati, rati & consummati. Distinguendæ etiam variæ secessionis causæ: vel enim causa religionis, vel alterius Matrimonij contrahendi, vel frigiditatis aut im-potentiae, vel vis aut metus adhibiti in contrahendo seceditur; aut certè nulla alia ex causa, quam ut à Sponsalibus aut Matrimonio rece-datur.

Quod pertinet ad primam secessionis causam, quæ religiosæ vitæ susci-piendæ gratia & prætextu continentæ perpetuæ obtenditur; ex his, quæ diximus, repetendum. Si Sponsalia tantum intercesserint, alteri licet, invito altero, Monasterium eligere can. 27. & 28. hac nostra Quæstione 2. Idemque dicendum est, si Matrimonium perfectum sit, sed solo consensu, nondum secuta conjunctione carnali: tunc enim etiam altero repugnan-te, alter ingredi religionem potest: cum enim una nondum caro fuerint effecti, potest unus ad Deum transire, & alter remanere in sæculo, exemplo quorundam Sanctorum, qui de Nuptiis vocati fuerunt cap. 2. conuersione conjugatorum: quod Capitulum est desumptum ex Gratiani nota ad can. 26. hac Quæstione & Causa.

Quod si Matrimonium perfectum fuerit & consummatum, & alter con-jugum Religionis causa Matrimonium dissolvere velit, non altero con-sentiente; lex quidem humana, ut ait Gregorius primus in can. 19, junctis can. 20. 21. 22. 23. 24. hac Quæstione, concedebat, ut nempe alter ex conjugibus ultrò & sponte, non expectato alterius consensu, vitam monasticam posset amplecti, etiam sine ulla poena & nulla re præstita alteri, qui remaneret in sæculo, ut ostendunt plures Justiniani Consti-tutiones Leg. 53. 9. ad hoc sanctissimis, Leg. 56. 9. nam & à maritis Cod. de-

*Episc. & Clericis, Novella 5. cap. 6. & Novell. 22. cap. 5.* Illas tamen leges D. Gregorius primus non observandas esse censuit pluribus rationibus adductis, & hac præcipue quia viro non licet uxorem dimittere, excepta sola fornicationis causa, postquam per copulationem vir atque mulier unum corpus effecti fuerint. *Quia est, inquit, ista migratio vel conversio, in qua una eademque caro ex parte transit in continentiam & ex parte remanet in pollutione?* Nec enim mulier potestatem corporis sui habet, sed vir: similiter & vir potestatem corporis sui non habet, sed mulier. Quare in iis casibus vel vir, vel mulier de Monasterio abducendi sunt, & reddendi alteri qui petit; etsi maritus Monachus, vel Clericus factus fuerit: dummodo tamen mulier Religionem ingressa non fuerit, vel maritus eadem voto se non obstrinxerit. *Quin imò & hoc amplius, nec sine consensu alterius, orationis causa permittitur alteri ex conjugibus per longius tempus secedere, sed statim redire debet.* Quæ Quæstio pleniùs tractatur infra *Causa xxxiii. Qu. 4.*

Si verò utriusque consensus interveniat, continentem vitam ducere permittuntur; quod evenit cum boni conjuges aut meritum augere desiderant, aut ante actæ vitæ culpas delere: tunc enim, ut loquitur Nicolaus primus in *can. 16.* licet scriptum sit, quod *Deus conjunxit, non homo separat;* *Deus tamen, & non homo separat,* quando divini amoris intu:tu ex utriusque conjugis consensu Matrimonia soleuntur. Quod & ante Gregorium primum, Basilus Magnus in *can. 22.* eadem *Causa* & *Qu.* senserat, ut ad *cum can.* Romani Correctores notaverunt: & iterum eadem quæstio pleniùs tractatur *Causa xxxiiii. Qu. 5.*

Ad dictum verò *Canonem 26.* observandum est cum pertinere ad causam celebrem divortij Lotharij & Theibergæ. Confectus est autem ex *dubius epistolis* Nicolai I. nempe 50. & 51. & in eandem sententiam super eodem divortio scripsit doctissimè Hincmarus Remensis, allatis etiam Gregorij I. *epistolis*, quas & Gratianus inferit in *can. 19.* & *21.* *hac nostra Quæstione.* Hincmari verò tractatus extat ejus operum *tomo 1. Interrogatione 23.* pag. 682. eademque omnia posteà confirmata fuerunt posteriorum Pontificum Decretalibus, *toto titulo de Conversione conjugatorum extra.*

Arcenda tamen vis omnis, temeritas, & properatio, nec quilibet consensus sufficit in hujusmodi secessionibus *Can. 2. 11. 12. 13. & seqq. xxxiii.*

*Qu. 5.* Quare merito Eugenius II. in *Can. 23.* *hac Qu.* constituit, si vir & uxor divertere pro sola Religiosa vita inter se consenserint, nullatus id sine Episcopi conscientia fieri, ut ab eo singulariter proviso consti-tuantur loco, id est seorsim & separatim in loco tuto, seculo & libero ab Episcopo tam vir, quam mulier interrogentur, & examinentur, utrum parati sint permanere & perseverare in proposito & voto tanti momenti. Quem Canonem iterum in alia Synodo Romana repetitum reperio apud Luitprandum in *Sita Leonis IV.* eodem ordine & numero, nempe 36. quo & hic citatur à Gratiano. Aequissimum est enim excutere causas antecedentes hujus secessionis, nunquid simulatae, per vim vel metum extortæ, aut quo alio malo more elicite fuerint. Præterea aequissimum est, ut nemo fidelium juxta divinam autoritatem initum dissoluat per se conjugium; sed debet cum Sacerdotali conscientia separari, unde be-

F R. FLORENTIS TRACTATUS  
nedictionem ineundi accepit; præsertim quoties proponitur facienda se-  
paratio amore perpetuæ continentia, sicut eleganter loquitur Hincmarus in dicto Opusculo de divortio Lotherij, ad interrogationem 5. tom. I.  
pag. 594.

Quod si ob causam impotentiae & frigiditatis separatio petatur, quam-  
vis super hoc dubitatum fuerit plurimum; tandem justa & Canonica  
separationis causa fuit visa hoc colore, quia nunquam per commixtionem  
carnis conjuncti una caro fuerint effecti. Uno verbo distinguunt inter  
ratum & consummatum Matrimonium, ita tamen ut alter conjugum  
qui consummationi Nuptiarum impedimentum attulit; sine spe conjugij  
alterius maneat; alter vero secundas Nuptias possit contrahere: quod sic  
intelligendum, si ab initio, id est ante consummationem, juventa fuerit  
impossibilitas. Superveniens enim post consummationem, sicut & furor,  
aut impedimentum quodlibet superveniens, non soluit Matrimonium  
consummatum, Gratianus ad can. 28. & can. 29. 30. 31. hac nostra Questio-  
ne. Quæ materia iterum plenius repetitur in Causa xxxiii. Qu. 1. & toto  
tit. extra de frigidis & maleficiatis.

Quod si per vim & metum illatum abducta & rapta fuerit Sponsa, red-  
denda est omnino priori Sponso, & ad eum reverti compellenda per Ec-  
clesiasticas censuras can. 34. 46. 47. 48. usque ad 50. ad quem male Gratianus distinguit, ad priorem Sponsum redire teneri, si ductio in do-  
mum Sponsi & benedictio Sacerdotis in Sponsalibus intervenerit: non  
teneri vero redire, quoties ductio & benedictio non intervenerit. In quo  
recte notatur Gratianus. Hujusmodi enim solemnitates nihil addunt ad  
substantiam & perfectionem Matrimonij. Nam extrinsecus adveniunt  
Can. nostrates xxx. Qu. 5. Quod vero pertinet ad celebrem quæstionem  
de raptu, variis ejus speciebus, & pœnis tam Canonibus quam Legibus  
impositis, & quomodo jus civile à Canonico in hac Quæstione dissi-  
dit, tractabimus suo loco, nempe in Qu. ult. Causa xxxvi.

Superest postrema & ultima quæstio, utrum desponsatus vel despon-  
sata renuntiare priori conditioni possint, & ad alia Sponsalia transire. Et  
quidem non posse renuntiare, sed ad prima redire compelli per censu-  
ras Ecclesiasticas suadere videntur Can. 8. 27. & 50. & passim in tit. de  
Sponsa duorum. Verumtamen hæc lex est imperfecta: si enim Sponsalib-  
us prioribus contemptis, Matrimonium cum alia vel alio sequatur,  
vel etiam Sponsalia de præsenti; ei quidem, qui fidem fregit, pœnitentia imponetur, sed non dissoluetur Matrimonium sequens vel sequentia  
Sponsalia de præsenti: & ita conciliandus. Can. penult. cum Can.  
ult. bac Causa & Quest. & cum cap. 1. extra de Sponsa duorum. Priora  
itaque Sponsalia vetant cum alia contrahi Matrimonium, sed contrac-  
tum non dissoluunt; Sponsalia de futuro proculdubio dissoluerent. Et  
hæc secundum ius vetus canonicum: quam severitatem posterioribus  
Decretalium Constitutionibus à Pontificibus temperatam reperimus. Et  
quidem in cap. 2 de Sponsalibus & Matrimoniis Pontifex ait, indu-  
cendos esse Sponsos & Sponsas, ut fidem impleant. Quod si ambo re-  
pugnant, & communis consensu uterque recedere velit; hoc posse in  
patientia tolerari prescribit Pontifex, exemplo societatis, quæ mutuo  
iussu solui potest. Quod si alteruter tantum renuntiare velit Sponsa-

**AD CAUSÆ XVII. ET SEQQ. DE SPONSAL. ET MATRIM.** <sup>ii,</sup>  
libus, dummodo rationabilis causa subsit (sicut in *Canonis* 34 casu *bac*  
*Causa & Qu* & ad cap. 10. de *Sponsalibus* adnotari solet) causa co-  
gnita solvi poterunt *Sponsalia*.

Postremo queritur, quid si nulla causa subsit, sed alteri alter displi-  
ceat; quæ questio tractatur in *cap. 17. extra de Sponsal. & Matrim.*  
in quo quærebatur qua censura mulier quæ *Sponsalia* contraxerat; imò  
& juramento confirmaverat, compellenda esset ad fidem adimplendam  
& *Matrimonium* contrahendum.

Respondet Lucius I I I. cum libera debeant esse *Matrimonia*, monendum  
potius esse mulierem quam cogendam hac ratione, quia coactioes so-  
lent difficiles exitus habere. *Quod summis ex Gratiano initio Quest. 2.*  
*Causa* xxxi. & Gratianus ex Ambroso in *epist. 1. ad Corintb. cap. 7.* di-  
cente, quia invitæ nuptiæ solent malos proventus habere: & ne quid  
deterius contingat *cap. 2. & 12. extra de Sponsalibus*. Itaque *cap. 17.*  
temperatur iutis veteris austeritas, qua præcisè compellebantur *Sponsi*  
& *Sponsæ* contrahere *Matrimonium*. Et hanc esse veram sententiam ex  
verbis hujus Capituli manifestissimè ex veteribus Interpretibus quidam vi-  
derunt contra *Glossam*, quæ fictitias solutiones plures excogitat, quas  
merito Cujacius irridet ad *dictum capit. 17.* eaque ratione tandem jus ca-  
nonicum in concordiam rediit cum Jure civili, quo alter ex *Sponsis*  
ultrò & sponte, etiam sine causa, mutata voluntate, renuntiare condi-  
tioni & nuntium remittere potest *Lege 6. ff. de Sponsalibus*, *Lege 1. Cod.*  
*codem*, *Lege 2. ff. de divorcio*, & *Lege 2. Cod. de repudiis*.

Diximus libellum repudij mittendum esse. Antequam nempe secun-  
da *Sponsalia* contrahantur, priora debent legitimis modis per libellum  
repudij dirimi; alioquin Jure Civili, qui bina habent *Sponsalia* eodem  
tempore; infamia notantur *Lege 1. & 12. §. 1. ff. de his qui notantur in-*  
*famia*. Jure vero canonico, ut diximus, secunda *Sponsalia* de futuro  
consistere non possunt, & dirimenda sunt; nisi vel *Matrimonium*, vel  
copula subsecuta sit de præsenti, ut diximus.

Postremo in *Can. 10. 12. 14. 15. 18. & 31. bac Qu.* queritur, utrum per  
sola *Sponsalia*, non secuto *Matrimonio*, aliquod impedimentum con-  
trahatur ad contrahendas Nuptias cum cognatis *Sponsi* vel *Sponsæ*, si  
contingat eorum alterum decedere; quod impedimentum vulgo publicæ  
honestatis solent appellare. Quam in rem observandus maximè *Can. 18.*  
sed hæc tractatio commodiùs reiicitur ad *Causam* xxxv. in qua de con-  
fanguinitate & variis ejus speciebus tractatur, & de impedimentis affini-  
tatis, & quæ eam imitatur, publicæ honestatis.

#### **AD QUESTIIONEM I.**

##### **Causæ xxviii.**

**T**res questioes Gratianus suscipit tractandas in hac *Causa* xxviii.  
1. An conjugium sit inter infideles. 2. An uxor vel maritus fideles,  
altero conjuge in infidelitate manente, ab eo recedere possit, & alias  
Nuptias contrahere. 3. An bigamus existimandus sit, qui ante Baptismum  
unam uxorem duxit, & post Baptismum alteram.

Ad intellectum harum quæstionum duo notanda sunt. 1. Divortium duobus modis accipi debere. Et quidem in Jure Civili divortium accipi solet, quoties Matrimonij vinculum omnino dissolvitur, & ad alias Nuptias transire licet; idque etiam post consummatum Matrimonium, pluribus ex causis Legibus comprehensis permittebatur. Jure vero canonico etiam divortium accipitur cum jure & vinculo Matrimonij durante, separatur & solvit tantum societas & consuetudo vitae; victus & usus tori interdicitur: quo casu non licet alteri ex conjugibus, altero superstite, de alio Matrimonio cogitare.

Observandum 2. aliud esse Matrimonium legitimum & non ratum: aliud ratum & non legitimum: aliud legitimum & ratum simul. Legitimum dicitur conjugium, quod singulorum populorum moribus & institutionis convenienter contrahitur: & hoc Matrimonium reperitur etiam apud infideles; quod ratum non est. Aliud ratum Matrimonium dicitur, quod inter Christianos & fideles celebratur; ratum ideo dictum, quod firmum sic & inviolabile, id est quod nunquam dissolvi possit. Huic rato Matrimonio si solemnia accedant, legitimum & ratum simul appellatur: si vero absque solemnitatibus peragatur, solo affectu & consensu de presenti inter fideles, ratum duntaxat appellant, non legitimum. Et ne quis recentem aut fictam à veteribus juris Interpretibus hanc distinctionem putet, & præsertim à Gratiano ad *Canonem 1.* & ultimum hujus *Questionis 1.* intelligat à summis Pontificibus eam fuisse relatam & comprobata à Clemente III. & Celestino III. in *cap. 1.* & 2. de conversione Infidelium in 2. *Collectione*, & ab Innocentio III. in *cap. 7.* extra de *Divortiis*. Malè tamen veterem errorem seuti Collectorum Canonum Clemens & Celestinus in *d. cap. 1.* & 2. autorem distinctionis faciunt Gregorium I. nempe ex *can. 2.* *Qu. 2.* *hac nostra Causa*: cum tamen illius distinctionis autor sit D. Ambrosius in *Commentario ad caput 7.* epist. 1. ad Corinth. Ex quo sumptus est praedictus *can. 2.* & cuius locum, quia necessarius est maximè, exscribemus, in haec verba Apostoli: non est enim frater aut soror servituti subjectus in hujusmodi. Hoc est non debetur reverentia conjugij ei, qui horret autorem conjugij. Non enim ratum est Matrimonium, quod sine Dei devotione est; ac per hoc non est peccatum ei, qui dividitur propter Deum, si alij se junxerit. Contumelia enim (reato) is foluit ius Matrimonij circa eum, qui relinquitur, ne accusetur ali, copulatus. Infidelis autem recedens & in Deum, & in Matrimonium peccare dignoscitur, quia noluit sub Dei devotione habere conjugium. Itaque non est ei fides servanda conjugij, qui ideo recessit, ne audiret Autorem esse Christianorum Deum conjugij. Nam si Esdras Propheta dimitti fecit uxores aut viros infideles, ut propitius Deus fieret; nec iratus esset si alias ex suo genere coiperent: (non enim ita pracepimus his est, ut remissis istis, alias minime ducerent) quanto magis si Infidelis discesserit, liberum halebit arbitrium, si voluerit nubere Legis sue viro? Illud enim non debet imputari Matrimonium, quod extra Legem Dei est: sed cum post cognoscit & dolet se deliquisse, se emendat, ut veniam mereatur. Si autem ambo crediderint, per Dei cognit onem confirmingant conjugium.

His ita præmissis apertior erit decisio trium Questionum, quæ in hac Causa continentur. Et quidem 1. decisio hæc est, inter Infideles & inter

inter Judæos fuisse verum & legitimum Matrimonium, quia & fides consensus interveniebat, & suscipiebatur societas & consuetudo vitæ, voto & animo proliis procreandæ; ideoque Christus ipse & Apostoli agnoscunt hujusmodi conjugia, maritos & uxores vocant: nam & ipse Deus autor est conjugii. Verum est Matrimonium, sed non est ratum, id est non est indissolubile, non habet vim & effectum Sacramenti; quoniam apud Gentiles & Judæos variis ex causis, sicut notavimus, dissolvebantur Matrimonia, ita ut ad alia Matrimonia liceret transire. Gratianus ad Can. 1. 14. & ultimum hac Quæst. 1. Quinimò & Apostolus retineri debere hujusmodi conjugium ait post conversionem ad fidem, quia spes est per cognitionem Dei & conversionem alterius conjugis confirmari & ratum fieri hujusmodi matrimonium; ideoque ab altero ex conversionis ad fidem retineri debet conjugium & conservari, quantum absque pietatis detrimento licebit. Qua in re notandus est communis consensus omnium interpretum Græcorum & Latinorum ad dictum cap. 7. epistole 1. ad Corinth. Et quidem præcipue D. Ambrosii loco citato, & D. Augustini in Can. 9. hujus Quæst. 1. & ex Græcis D. Chrysostomi, Theodoreti, & ex utrisque Theophylacti: qui omnes afferunt, secundum mentem Apostoli, si alter ex infidelibus conjugibus post conversionem alterius recedere obstinate voluerit in odium Christiani nominis ab eo, qui conversus est, nec cum eo morari sustinet, vel etiam sub ea conditione tantum, quæ sit turpis, & Christianæ pietati aduersetur: illis duobus casibus habere locum dictum Divi Pauli: Non est frater vel soror subjectus servituti in hujusmodi. Contumelia enim creatoris, ut ex D. Ambrosio diximus, solvit ius Matrimonii circa eum. qui relinquitur, id est fidelis relictus injustè liberabitur vinculo Matrimonii, & ut loquitur D. Augustinus, plus tenebitur amore divine gratiae, quam carnis luxuria; & membrum, quod eum scandalisat, fortiter amputabit, Can. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. hac Causa & Quæst. & Can. 2. Quæst. 2. Uno verbo inquit D. Chrysostomus: Si jubet infidelis te sacrificare, aut esse socium impietatis propter Matrimonium, aut recedere: melius est, ne distrahabatur Matrimonium, quam pietas. Quod pluribus deinde confirmat. Quod si fidei converso ad fidem non fuerit molestus infidelis conjux, nulla ratione recedere debet fidelis, ex Apostoli consilio; quod necessitatem inferre rectissime docent D. Augustinus & reliqui Patres ex verbis Apostoli. Et quidem D. Augustinus in Can. 8. hac C. & Q. Non ait, propter vinculum cum talibus conjugale servandum, sed ut acquirantur Christo, recedi ab infidelibus conjugibus vetat Apostolus. Et maximè in Can. 9. Virumque licitum est pariter per justitiam, quæ coram Domino est, & ideo nihil eorum Dominus prohibet: sed non utrumque expedit propter infirmitates hominum; & ideo id quod non expedit, Apostolus prohibet, dante sibi Domino liberum prohibendi locum: quia neque id quod monet Apostolus, prohibet Dominus; neque id quod prohibet Apostolus, jubet Dominus. Et postea: Licitum erat per justitiam; sed etiam licitum non esse faciendum admonet D. Paulus propter liberam benevolentiam: quia, ut supra dixerat, quamvis & hoc licet; non tam expedit id quod licitum est, quando permititur quidem, sed usus ipsis potestatis aliis infert impedimentum salutis: sicut est discessio fideliss.

conjugis ab infideli, quam non prohibet Dominus praecepto legis, quia coram illo injusta non est: sed prohibet Apostolus consilio charitatis, quia infidelibus afferit impedimentum salutis: non solum quia perniciosestissimum scandalizantur offensi; verum etiam quia cum in alia conjugia ceciderunt, viventibus eis, a quibus dimittuntur, adulterinis nexibus colligati difficillime dissolvuntur. Planissimum Theodoretus in illud D. Pauli epist. 1. ad Corinth. cap. 7. Ceteris autem, ego dico &c. Hoc ego dico, idem est ac non inveni hanc legem scriptam in sacris Evangeliiis, sed nunc & eam fero. Quod autem B. Apostoli leges, leges sunt Domini, clarum est iis, qui in divinis rebus sunt erudit. Ejus enim vox est: an experimentum queritis ejus, qui in me loquitur Christus: & non ego, sed gratia, qua in me est: & dies per gratiam mihi datam. Ita etiam hic fert legem, sanctissimo per eum loquente Spiritu: cuius legis utilitatem ferenda ipse B. Apostolus subjicit, nempe spem future conversionis, & expectandam per Dei gratiam ab altero ex conjugibus conversis. Quod & elegantissimum D. Chrysostomus explicat in haec verba dictae Epistolae: Unde enim sciet mulier, si virum salvum facies? Hoc rursus refertur ad illud, non dimittat illum: si discessionem non agitat; mane, ait. Nam & lucrum agis. Mane, & bortare, & consule, & persuade. Nullus enim doctor tantum poterit valere, quantum uxor. Et neque imponit ei necessitatem; neque omnino ab ea rem exigit, id est ut convertat necessario, ne rursus molestius illud, scilicet conversionis opus, reddat: neque jubet desperare; sed sub incerto eventu futuri suspensam eam relinquit.

Ex his colligimus rationes, cur fideli non liceat infidelem conjugem dimittere, eo scilicet casu, quo ab initio ambo conjuges unius & eiusdem infidelitatis fuerunt, quando Matrimonio juncti sunt, & postea alter vel altera sine altero creditit.

Hactenus de infidelibus conjunctis egimus. Quod si vero ab initio proponatur, utrum fidelis infideli vel Judæo possit jungi Matrimonio, agnoscendum erit tam veteri quam novo Testamento hujusmodi Matrimonia validè non contrahi; sicut idem Augustinus probat dicto Can. 9. hac Quæst. 1. & Theodoretus loco citato: immo & dissolvi debere contracta, nisi ad fidem Christianam infidelis vel Judæus transire velit. Can. 10. 11. 12. & 17. hac xxviii. Causa & Quæst. 1.

Aliud dicendum si ambo conjuges fideles ab initio fuerint copulati Matrimonio, & alter postea vel ad infidelitatem, vel ad heresim transseat: tunc enim quia semel ratum fuit Matrimonium per Sacramentum, nunquam potest postea dissolvi; nequidem per Ecclesiæ judicium, ita ut alter fidelis vel Catholicus ad alias nuptias transire possit: sed vel invicem se tolerare debent, vel separari tantum possunt, quantum ad societatem mensæ & tori, remanente perpetuo Matrimonii vinculo: *Quia Sacramentum fidei, quod semel admissum fuit, nunquam amittitur*, ut ait Innocentius III. in celebri cap. 7. extra de Divortiis. *Quamvis*, ut initio ait idem Innocentius III. prædecessor noster aliter sensisset. Intelligit vero Celestinum III. ut recte Glossa ad dictum cap. 7. cuius sententia extat in cap. 2. de conversione infidelium in 2. Collectione, in parte decisa, ibi: *Cum S. Christiano viro propter odium uxoris Christum negante, & sibi copulante paganam*. *Quo casumalè Cœlestinus III. rescrips*

## AD CAUS. XXVIII. ET SEQQ. DE SPONS. ET MATR. 123.

ferat fidelem uxorem relictam posse ad aliud Matrimonium transire. Quid h̄ic recte mutat Innocentius III. quem sequitur Concilium Trid. Sessione 24. can. 5. de *Sacramento Matrimonii*. Quod si posteā conjux alter infidelis ad fidem etiam revertatur à gentilitate vel h̄eresi, redintegratur Matrimonium; nisi forte medio tempore fidelis contemptus vel derelictus aliud Matrimonium contraxerit; vel etiam semel relatus alter ex conjugibus, & Ecclesiae judicio separatus, ad Religionem transrevoluerit, cap. ult. de *Conversione conjugatorum*.

Quod si Catholicus cum h̄eretica, vel contrā, Matrimonio jungatur, hujusmodi Matrimonium consistit & valet, nec dissolvi quacumque ratione potest; quamvis pluribus Canonibus admoneamur hujusmodi conjugiis esse abstinentium; nisi in contrahendo profiteantur se futuros Catholicos, Can. 16. hac Causa & Quest. ut recte contra Glossam annotat vetus Interpres Hugutio; ita ut Canones illi numerandi sint inter leges imperfectas, quae prohibent aliquid fieri, sed factum non rescindunt: quod s̄epius in causis Matrimonii contingit.

Ad 2. Quæstionem quæ pertinent, explicavimus supra.

## AD QUÆSTIONEM III..

IN 3. Quæstione quæ ad Bigamos pertinet, proponitur hujusmodi quæstio, utrum reputandus sit Bigamus, qui ante baptismum uxorem duxerat, quā mortuā alteram uxorem ducit. Quæritur, inquam, utrum Episcopus, Presbyter, & Diaconus ordinari possit; & utrum, ut loquuntur, irregularitatem incurrat, adeo ut non possit ordinari. Quæ quæstio tractatur etiam, & fusiūs in Dist. xxvi. & in Dist. xxv. can. 7. 8. & seqq. & toto titulo extra de Bigamis. Orta verò est illa quæstio occasione verborum B. Pauli in Epist. ad Timotheum 1. cap. 3. & in epistola ad Titum cap. 1. In quibus locis Apostoli explicandis non constat inter Ecclesiæ Patres, sive verba, sive sententiam spectemus. Quidam enim ex Græcis, & etiam ex Latinis hæc B. Apostoli verba, *unius uxoris virum*, existimant non tantum accipienda de viro, qui habuit unicam uxorem ante ordinationem; sed etiam de viro, qui habet adhuc unicam uxorem eo tempore, quo ordinandus postulatur; idque ideo sic statutum ab Apostolo allegant, quoniam & Iudæi Apostolorum tempore plerumque non abstinebant à polygamia; vel etiam contra Evangelicam legem & Iudæi & Christiani facilè suas dimittebant uxores, & alias ducebant primis viventibus: quod licebat tam lege Mōsis, quam ex Principiis Christianorum constitutionibus, quæ diutissimē manserunt, contradicente licet Ecclesiâ. Nihilominus tamen Ecclesia secundūm veritatem Sacramenti & ejus institutionem, nullotempore hujusmodi conjunctiones probavit, & polygamos hujusmodi viros & uxores reputabat, eosque tanquam bigamos & polygamos removebat à Sacerdotio; quia prioris Matrimonii vinculum non erat dissolutum, sicut B. Chrysostomus notavit ad dictum cap. 3. epist. 1. ad Timoth. quamvis in epistola ad Titum initio magis inclinare videatur in sententiam, quæ tandem recepta est, accipienda esse verba D. Pauli de eo, qui post unicas nuptias contractas, & uxore mortua; ad ordines se promovendum exhibet. Theodoretus verò & ex Orientis

Patribus nonnulli de polygamia tantum explicant in eum quem retulimus sensum : quin & uxoratum sive primis, sive secundis nuptiis, posse admitti ad sacros Ordines ait. Varias autem sententias Interpretum super dictis B. Pauli locis retulit D. Hieronymus in epistola 83. ad Oceanum : & Theophylactus varias etiam sententias Græcorum Patrum in dicta loca retulit. Major tamen pars & Græcorum & Latinorum in eam sententiam convenit, Apostoli verba intelligenda esse de illo, qui post mortem primæ uxoris ad Sacerdotium vel sacrum aliquem Ordinem promoveri desiderat. Merito vero Theophylactus irridet eos, qui B. Apostoli verba figuratè accipiebant de eo, qui cum aliquod obtinet beneficium, aliud præterea simul obtainere contendit : quamvis & illud non quidem hoc Apostoli loco, sed aliis interdictum fuerit.

Non levis etiam controversia fuit in quæstione de Bigamis, utrum uxore ducta & mortua ante Baptismum, & secundâ post baptismum superductâ, Bigamus censeri debeat, qui post Baptismum secundum Matrimonium contraxit. De qua quæstione in epist. ad Titum sic scribit B. Hieronymus. Multi superstitionis magis quam verius etiam eos, qui, cum gentiles fuerint, & unam uxorem habuerint, quam mortuâ, post baptismum Christi alteram duxerint, putant in Sacerdotio non legendos : cum utique, si hoc observandum sit, illi magis ab Episcopatu arceri debeant, qui vagam per meretrices antè exercentes libidinem, unam regenerati uxorem acceperint ; & multò detestabilius sit, fornicatum esse cum pluribus, quam bigamum reperiri : quia in alio infelicitas Matrimonii est ; in alio ad peccandum prona lascivia. Quam etiam sententiam plenius persequitur in epist. 83. ad Oceanum. Divi tamen Ambrosius, Innocentius I. Augustinus, Gregorius I. & plerique Patres & Concilia, quorum autoritates in hac Quæstione nostra referuntur, & in Dist. xxvi. contrariam opinionem prætulerunt : quæ recepta est his potissimum rationibus, quia Matrimonium infidelium & Judæorum, sicut probavimus suprà, verum & perfectum est Matrimonium ; nec superveniens Baptismus efficere potest, ut non fuerit verum Matrimonium. Baptismus enim diluit & abstergit maculas, non nuptias, quæ probantur & laudantur à Christo : & ut ait S. Innocentius I. in fine Can. 3. Dist. xxvi. aboleri non potest prioris nomen uxoris, cum non dimissum sit pro peccato, quod ex Dei sit voluntate complètum. Quod vero objicitur ab Hieronymo, à dictis Patribus ita refellitur, præcipue ab Innocentio I. & D. Augustino, non idèo Bigamum removendum esse ab Episcopatu, vel Sacerdotio, quia peccavit ducendo primam uxorem ; sed idèo non admittendum ad Episcopatum vel sacros Ordines, quia secundam uxorem ducendo, normam Sacramenti & prærogativam electionis amisit, non ad vitæ meritum, sed ad Ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessarium, Can. i. Dist. xxvi. Quæ norma Sacramenti in eo consistit, ut Christi unionem in charitate cum Ecclesia perfectè repræsentet : quod tantum fieri potest, si cum unica permaneat uxore maritus, nec dividat carnem suam in plures. Addit D. Ambrosius in Can. ultimo Dist. xxvi. quomodo hortator poterit esse castitatis, qui conjugia frequentaverit ? Plura de Bigamis in titulo de Bigamis.

## AD QUÆSTIONEM I.

## Causæ XXIX.

**I**N hac Causa de impedimento ex errore conjugum procedente tractatur, quæ Causa in duas quæstiones dividitur. In 1. quæritur generaliter, utrum omnis error, vel saltem qualis error Matrimonium impediatur non tantum contrahi, sed etiam semel contractum dirimat.

In qua Quæstione Gratianus, quem sequuntur Magister sententiarum, Thomas, & omnes ferè, ait rationem hanc dubitandi occurrere, Matrimonium solo consensu perfici: aliquis autem consensus reperitur, licet allegetur error. Sed statim subjicit non quemlibet consensum, sed liberum, spontaneum & certum desiderari: qui autem ignorat, vel errat, non potest dici consentire. Nihil enim tam contrarium consensi, quam error, *Lege Si per errorem ff. de Jurisdictione omnium judicum*. Non tamen omnis error sufficit ad dirimendum Matrimonium. Unde quatuor species erroris distinguit; vel enim error est personæ, vel conditionis, vel fortunæ, vel qualitatis. Duæ primæ species dirimunt contractum matrimonium; duæ verò postremæ non dirimunt. Error personæ, sive in persona est, si cum haberem animum Meviæ ducendæ, supponatur ejus loco Sempronia: quo casu defuit omnino consensus in Semproniam; ideoque facile dirimetur qualecumque illud Matrimonium, quod nec ab initio constiterat: sicut in Jure civili emptio non consistit, si circa rei substantiam & materiam error interveniat *Lege in venditionibus ff. de contrahenda emptione*. Addenda exceptio, nisi conjuncti errore semel comperto, simul affectu conjugali perseverent. Nam subsequens consensus facile conciliat nuptias.

Error etiam conditionis dirimit Matrimonium, e. c. si liber homo cum libera se contrahere existimet, quam posteà servam esse reprehendit; vel contrà, si libera cum servo, quem putabat liberum. Sed statim debent recedere ab invicem; alioqui subsequens consensus, coabitatio vel copula Matrimonium confirmabunt, *cap. 2. & ultimo extra De conjugio servorum*. Quod & generale est in aliis casibus *cap. 21. & 28. extra De sponsalibus & Matrimoniis*. Præterea semper requiritur, ut judicium Ecclesiæ interveniat, *dicto cap. ult. & cap. 3. & 6. extra de Divortiis*.

Duæ postremæ erroris species, nempe fortunæ & qualitatis, contractum Matrimonium dirimere non possunt: fortunæ, e. c. si pro divite duxerit pauperem, vel si plebeio nupserit mulier, quem nobilem existimabat; vel etiam si in qualitate erratum fuerit, e. c. si cum existimaret virginem ducere, meretricem vel corruptam duxerit. Quod & exemplo exemptionis receptum, in qua si non erretur in corpore & materia, e. c. in sexu, si masculus pro fœmina supponatur; error circa qualitatem corporis vel sexus non obest, *Lege alioquin 2. §. 1. ff. de contrahenda emptione*.

## AD QUÆSTIONEM II.

**Q**uestio 2. pertinet ad errorem conditionis specialiter, nempe si errans mulier nubat servo, quem liberum existimabat, vel vir errans pro libera servam ducat. Et quidem 1. quærit Gratianus generaliter, an legitimum sit conjugium inter servos & ancillas: quæ quidem dubitatio sumpsit originem ex Jure civili Romanorum. Ecclesia enim est in Republica, non Respublica in Ecclesia, ut loquebatur Optatus, & quatenus fieri potest, legibus sæculi obtemperari oportet. Jure autem Romanorum civili inter servos non est matrimonium legitimum, sed contubernium tantum. Multò minus inter liberum hominem & ancillam, vel liberam & servum erat Matrimonium, nec dos, nec nuptiæ, *Lege Luccius 27. ff. depositi*. Quin imò inter liberas personas, disparis tamen qualitatis sive dignitatis, nuptiæ Jure civili contrahi non poterant, e. c. civis Romanus cum Latina, vel peregrina; Senatores & eorum liberi non poterant cum libertina, scenica, vel cum ea, quæ corpore quæstum fecerat, Matrimonium contrahere, *Ulpianus in Regulis titulo 6. & titulo 16*. Ex quibus locis lucem accipiunt pleræque Leges & loca veterum Patrum. Earum tamen Legum asperitatem 1º. quidem Principes, etiam Paganit temperaverunt; deinde Christiani Imperatores, potissimum verò Justinianus, tandemque Ecclesia ad veram Juris naturalis & Evangelii lucem reduxerunt. Jure autem divino, quod Canonicum jus sequitur, quo apud Deum nulla est personarum acceptio, nec distinguitur servus & liber, non ingenuus, non libertinus, non plebeius, non nobilis; valent hujusmodi nuptiæ, maximè inter scientes. Si tamen inter servum vel servam, & liberum vel liberam, per errorem Matrimonium contratum fuerit, admittit Ecclesia eos posse divertere, *Can. 1. 2. 3. & 5. hac Quæstione nostra & cap. 1. extra De conjugio Servorum*. In conjugiis tamen hujusmodi servorum, et si non ignorarent conditionem suam, ab initio consensus dominorum desiderabatur; alioquin permittebat Ecclesia dissovi conjunctiones hujusmodi, *Can. ult. hac nostra Quæst. Quod postea mutatum fuit; adeò ut etiam contradicentibus dominis facta hujusmodi servorum conjugia valeant, cap. 1. de Conjugio servorum extra*.

Notandum tamen, sicut supra attigimus, statim atque error conditionis deprehensus fuerit ab altero ex conjugibus, qui conqueritur se fuisse deceptum, confessim eum recedere debere; alioquin si, postquam conditionem intellexerit, vel facto, vel verbo expriſe, vel tacite consenserit, amplius non poterit dirimi Matrimonium, *Can. 4. hac nostra Quæst. & cap. 2. 3. & ultimo extra de Conjugio servorum*. Liberi autem, qui ex hujusmodi conjugiis suscepti fuerint, non patris, sed matris conditionem sequuntur: si mater libera fuerit, erunt liberi; si serva, manebunt servi secundum legem naturæ, per quam partus ventrem sequitur, *Lege Lex naturæ ff. de Statu hominum, Gaius lib. 1. Institut. tit. 4. §. 11. & Ulpianus in Regulis tit. 6. §. 8. Ex quibus locis etiam constat adversari regulam Juris civilis, quâ in legitimis conjugiis liberi patris, non matris conditionem sequuntur. Sed, ut rectè*

observat Cujacius ad dictum Tit. de Conjugio servorum, quamvis servorum contubernium post magnas & multas varietates tandem Ecclesia legitimis conjunctionibus adnumeraverit; retinuit id saltem ex Jure civili, ut si servus cum libera, vel contrà liber cum ancilla contraxerit, non sequatur tamen partus conditionem patris, sed matris, cap. ultimo de Servis non ordinandis, & cap. unico De natis ex libero ventre.

## AD QUÆSTIONEM I. III. &amp; IV.

## Causa XXX.

Prosequitur Gratianus explicationem causarum, quæ vel impediunt Matrimonium contrahendum, vel etiam contractum dirimunt. In hac verò Causa tractat potissimum de impedimento, quod ex cognatione spirituali oritur, nempe in Quæst. 1. 3. & 4. Nam in 2. attingit leviter tantum impedimentum ætatis, & utrum inter infantes rectè sponsalia contrahantur. In quinta quæritur an clandestina despensatio manifestæ præjudicet.

Agamus priùs de cognatione spirituali, quam in tres quæstiones dividit. In 1. quærit, an maritus, qui proprium filium de Baptismate suscepit, vel si uxor susceperit proprium filium mariti, Matrimonium retinere debeant. In 3. an spirituales vel adoptivi filii naturalibus copulari valeant. In 4. an uxorem compatriis uxoris suæ alicui ducere liceat. Ad quarum intellectum notandum tres esse cognationum species: aliam naturalem; aliam legalem; aliam spiritualem: quibus singulis assignantur speciales Tituli lib. 4. Decretalium apud Gregorium IX.

Cognatio naturalis ex justo Matrimonio descendit Jure civili: Jure verò canonico etiam ex qualibet coniunctione, ut in sequentibus explicabimus. Legalis ex adoptione oritur, quæ civili Jure nuptias legitimas imitatur. Cognatio verò spiritualis illa dicitur, quæ solâ autoritate Ecclesiæ & Canonum introducta fuit; adeoque non principaliter & directò, sed relativè tantum & latius accepto legis divina nomine, ne pugnare videatur, quod in Canonibus dicitur, *Lege divina cognitam spiritalem cognitionem*. Quod innuere videntur Canon 1. & 3. hac Causa xxx. Quæst. 3. Oritur verò illa cognatio ex causa Baptismi, Catechismi, Confirmationis, Ordinum sacerdotum, Pœnitentiæ & Confessionis: in quibus omnibus vetus consuetudo inoleverat, ut fideles quosdam Patronos & susceptores sibi assumerent, qui locum parentum obtinebant. Nam generationis cujusdam spiritualis similitudines in illis reperiuntur; potissimum tamen in Baptismo illius regenerationis imago certissima repetitur ex verbis Christi, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Reliquæ species spiritualis cognitionis, v. g. in Catechismo, & Confirmatione, paulò sunt obscuriores. De illis tamen agitur in hac 1. Quæst. Causa xxx. Can. 1. 6. 8. 9. & 10. in quibus etiam filius & filia spiritualis appellantur, qui confitentur Sacerdoti & Presbytero, qui Patres suorum pœnitentium vocitari solent etiam hodie. Sed hæc postrema cognitione nihil ad hanc materiam pertinet.

Redeamus ad cognitionem ex Baptismo, quæ propria species spiri-

tualis cognationis : ea ab initio contrahebatur tantum inter susceptum & suscipientem ; inter quos etiam per consequens nuptiae prohibebantur tantum : nihil aliud inducere debet justam nuptiarum prohibitionem , quam nexus hujusmodi , per quem , Deo mediante , animæ copulata sunt , Lege 26. Codice de nuptiis , quæ est Justiniani . Verum Canonibus longius porrectum est hoc jus . Et primùm quidem inter patrem & matrem naturalem , & spiritalem ; quæ appellatur compaternitas ; hac ratione quia alii per naturam , alii per spiritum parentes intelliguntur . Itemque quoniam vir & uxor una caro censemur ; si post Matrimonium contractum vir vel mulier de Baptismo susciperent aliquem vel aliquam , non interfolum suscipientem maritum vel susceptricem uxorem , sed etiam cum utrisque ex conjugibus compaternitas vel commaternitas contracta intellegebatur : & hujusmodi patres & matres spiritales ascendentium naturallium speciem & similitudinem obtinenter Quæst. 4. Hoc amplius quædam cognatio à latere inducebatur per Baptismum , fraternitas scilicet ; e. c. qui ex susceptore & susceptrice nati erant , vel ante vel post susceptionem ex Baptismo , non poterant jungi Matrimonio cum suscepto susceptave , Can. 1. 2. & 3. Quæst. 3. imò nec cum filiis vel filiabus patris vel matris naturalis ejus , qui erat susceptus , id est cum fratribus aut sororibus suscepti , sive ante sive post baptismum forent nati ; perinde ac si inter se omnes ex iisdem parentibus geniti forent : quoniam utrique parentes invicem se compatres & commatres appellabant . Quod jus postea immutatum fuit , & generaliter statutum , ut hujusmodi personæ legitimè possent copulari ; exceptis tantum illis personis , per quas compatres vel commatres effecti fuerant , & quæ causam dederant compaternitati . Uno verbo inter solos susceptos vel susceptas & filios filiasve susceptoris aut susceptricis prohibitio remansit . Quod explicatur in Canon. 4. dicta Quæst. 3. Cui non adversatur Canon. 5. eadem Quæst. Nam quod in eo Canone dicitur , sic est intelligendum , ut personæ quæ susceptae fuerint ex Baptismo , Matrimonio nunquam jungi valeant cum filiis vel filiabus suscipientium ; non tantum si nati fuerint ante susceptionem de Baptismo , sed etiam si post susceptionem ex susceptente natus vel nata fuerint filius aut filia . Quæ vera est conciliatio dicti Can. 4. cum 5. quam indicaverat vetus Interpres Hugutio , cuius mentem & sententiam secuti sunt Pontifices in cap. 1. 3. & penult. extra De cognatione spirituali : quam sententiam Cujacius ad illa capitula rectissimè vindicavit . Manet itaque jus vetus inter eas personas , quæ susceptæ fuerint in Baptismo ; non in reliquis , dicto cap. 1. & 3. & penult.

Quod autem diximus compaternitatis ratione inter susceptorem & matrem naturalem prohiberi nuptias ; illud protractum etiam ad eos , qui baptisaverunt & inter baptisatos . Minister enim Baptismi pro parte spirituali accipitur , cap. ultimo dicto tit. de Cognatione spirituali extra & cap. 1. eodem tit. in vi.

Ex supradictis omnibus causis cognatio præcedens , sive ex Baptismo , sive etiam ex Confirmatione , & Matrimonium contrahendum impediens , & contractum dirimebat : quas omnes species breviter & dilucidè comprehendit dictum cap. 1. de Cognatione spirituali in vi . quibus & contrahendum Matrimonium impediri , & contractum dirimi decernit , eundem que-

demque ait esse effectum cognationis spiritualis, quæ ex Confirmatione oritur.

Quod si per Catechismum, quem vocare solent Canones paululum sacramenti salis, contracta fuerit cognatio spiritualis, Matrimonium quidem contrahendum impedit; propter tamen illam cognationem contractum postea Matrimonium non solvitur *cap. 5. exira de cognatione spirituali,* & *cap. penult. eodem tit. in 6.* Ex datione vero aliorum Sacramentorum, e. c. Pœnitentiæ, Corporis Jesu Christi Domini nostri, Ordinis & Extremæ-unctionis, non oritur cognatio, quæ Matrimonium impediat, aut dissolvat, *cap. ultimo eod. tit. in vi.*

Diximus autem hæc ita locum habere, si cognatio spiritualis præcesserit Matrimonium. Quid enim si sequatur contractum Matrimonium & superveniat? Quæ quæstio tractatur in *i. quest. hujus Causæ*, v. g. si post contractum Matrimonium vir vel uxor filium aut filiam communem de fonte susceperint, vel in Confirmatione; vel etiam baptisaverint ipsi filiastrum, ut loquuntur, vel filiastram alterutrius ex præcedenti Matrimonio, post secundum Matrimonium; vel de Baptismo susceperint, vel in Confirmatione: his omnibus casibus queritur, an propterea rectè ab initio contractum Matrimonium dissolvatur. Et quidem vetustissimo Jure Canonum dirimebatur Matrimonium; sequentibus vero Canonibus retinetur Matrimonium, aliquo temperamento adhibito, ut constat ex dicta *Quæst. i.* quos meritò etiam prætulerunt Alexander III. & sequentes SS. Pontifices in *tit. de cognatione spirituali.* Cum enim ipse Christus præceperit, ut quos ipse Deus conjunxit homo non separet, scrupulosum & anxiū nimis visum est, ut per supervenientem cognationem quandam commentitiam humanis constitutionibus inductam, sicut diximus, vinculum lege divina firmissimè coniuxum dissolvetur temerè.

Postremò notandum ex *Can. Non plures 101. de Consecrat. Dist. iv.* restringimè constitutum, non plures ad suscipiendum de Baptismo infantem & in Chrismatione, quam unum, sive virum, sive mulierem debere adhiberi. Quod & confirmat *cap. ult. de cognatione spirituali in vi.* cum hac tamen interpretatione, ut si plures accesserint de facto, spiritualis inter omnes cognatio contrahatur, impediens contrahenda Matrimonia, & contracta dissolvens. Meminisse vero debent maximè susceptores & susceptrices admonitionis D. Augustini in *Sermon 163. de Tempore,* se pro ipsis fidejussores apud Deum extitisse; & ideo semper illis sollicitudinem vera charitatis impendere, *Can. 105. Vos ante omnia de Consecrat. Dist. iv.*

Hactenus de veteri Jure Canonum & Decretalium. Postremò Concilio Tridentino multitudo hujusmodi prohibitionum, spiritualis cognationis occasione inductarum, valde fuit coercita, & ad certas personas restricta, quæ numerantur in *cap. 2. de Reformat. Matrimonii Sessione 24.* Primò quidem unum & unam tantum, non autem plures ad suscipiendum de Baptismo jubet accedere secundum *Can. 101. de Consecrat. Dist. iv.* Quod si plures adhibeantur, inter eos cognatio spiritualis non contrahitur, abrogato Capitulo *Quamvis de spirituali cognatione in vi.* Inter unicum vero susceptorem & susceptricem, & baptisatum, & baptisati patrem & matrem, pariterque inter baptisantem, & baptisatum, & baptisati patrem & matrem tantum cognatio spiritualis contrahitur, quæ nup-

tias impedit: reliquis omnibus speciebus abrogatis, & extincta omnino cognatione, quæ ex Catechismo oriebatur. Et meritò: totum enim illud jus cognationis spiritualis, præsertim quatenus ad impedimentum nuptiarum pertinet, non à Lege divina, nec ab Apostolo, nec Constitutionibus Canonicis antiquissimis fuit inductum, sed recentioribus, ut docuimus.

Aliquid addendum de legali cognatione, de qua etiam agitur in *Quæst. 3. hac nostra Causa*, & in tit. de *Cognat. legali Extra*. Hujusmodi verò cognatio legalis contrahitur per Adoptionem, quæ frequens erat apud Romanos, & cujus ratione prohibetur Matrimonium inter eos tantum, qui inter se Jure civili parentum, filiorum, & fratum aut sororum similitudinem obtinent, quamdiù nempe durat Adoptio. Nam per emancipationem eā dissolutā, dissolvitur etiam cognatio. Quid & Jure canonico confirmatur, *Can. I. & 6. xxx. Qu. 3. & cap. unico de Cognitione legali Extra*. Ad quod Capitulum rectè Cujacius admonet etiam post Concilium Trid. fraternitatem adoptivam Matrimonium contrahendum impedire & dissolvere; quoniam adoptio fraternitatem quamdam adoptivam parit, *dicitur cap. unico*. Baptismus autem non parit fraternitatem; imò nec propriè filium adoptivum facit, sicut Adoptio; in qua necessarius utriusque consensus intervenit, & futuri patris & filii adoptivi. In Baptismo verò non id agitur nominativum, ut suscepimus susceptoris, vel Ministro filius fiat vel filia; sed per interpretationem & fictionem quandam Adoptivi loco & quasi Adoptivi susceptores & susceptrices, & suscepti habentur.

## AD QUÆSTIONEM II.

**Q**Uæritur in hac Quæstione utrum Sponsalia ante septennium possint contrahi: & deciditur propter ætatis & judicii infirmitatem non posse; quamvis parentes utriusque infantium nomine hujusmodi sponsalia contraxerint, *Can. unico*, qui solus in hac *Quæst.* collocatur, & Nicolao Papæ tribuitur: qui Canon comparari debet cum *cap. 4. de Desponsatione impuberum in I. Collectione*, & cum *cap. 2. eodem tit. Extra*. Ex quibus hæc elicetur sententia, inter utrumque vel alterum septennii minorem sponsalia, quamvis communī parentum consensu contracta, non valere propter judicii imbecillitatem. Consensus enim satis firmus inter illa ætate non estimatur: is autem necessarius est omnino, & quidem integer, non tantum in Matrimonio, sed etiam in Sponsalibus: qui quidem nullus esse videtur, nisi intelligent contrahentes qua de te agatur. Excipitur, nisi consentiant, postquam pubertatem attigerint, & ratum habeant, quod eorum nomine parentes gesserint: idemque in Matrimonio multò magis *eodem Can. constituitur*, nempe ut inter pueros tantum ritè contrahatur; alioquin si interveniente autoritate & consensu parentum duntaxat, ante legitimam ætatem fuerunt juncti matrimonio, usque ad pubertatem expectandum est, ut tunc vel ratum habeat Matrimonium, vel si non placeat, teneatur contradicere, qui minor annis Sponsalia vel Matrimonium contraxit. Excipiendum, nisi malitiæ ætatem suppleante, carnalis copula supervenerit. Copula, inquam, non natus & copula

conatus, qui non sufficit solus, cap. 6. 7. 8. 9. & 10. Extra de Desponsatione impuberum. Excipitur etiam in dicto cap. 2. eodem tit. nisi forte aliqua urgentissima necessitate interveniente, utpote pro bono pacis, talis conjunctio, scilicet nondum puberum, toleretur. Quod non de quibuslibet intelligentium, sed quoties pro bono pacis publicae inter Reges & Principes, aut illustres familias Sponsalia vel Matrimonia ante legitimam etatem contrahuntur: quoniam, ut loquitur cap. 6. de Desponsat. impuberum in 1. Collectione, multa dissimulantur, & equanimiter tolerantur, ne discordia inter Potentes olim exorta, & per matrimonium hujusmodi sopita, denuo fuscitentur.

## AD QUÆSTIONEM V. ET ULTIMAM.

**D**E vitio clandestini & de furtivis Nuptiis in hac Quæst. agitur; in cuius fine Gratianus notat, clandestini vitium non facere, quomodo ipso jure Matrimonium consistat. Quæ etiam erat communis sententia Theologorum illius temporis, qui nempe hoc vulgari argumento nitebantur, solum consensum sufficere eorum, de quorum conjugatione agitur, ex Can. 2. xxvii. Quæst. 2. quamvis legitimæ probationes deessent: alia enim probationes non admittuntur. Unde eveniebat aliquando, ut probationibus deficientibus in foro exteriori, aliis nuptiis postea jungenrentur, qui prius clandestinas contraxerant, & tamen tolerarentur: quamvis in foro interiori conscientiae adulteri haberentur, nec consistenter hujusmodi Matrimonia. Qui allegat verò se clandestinè Matrimonium contraxisse, sive vir, sive mulier, indistinctè tenetur probare, juxta vulgarem regulam Juris, qua actor probare tenetur. Et sic intelligendum cap. 1. de Clandest. desp. licet loquatur tantum de viro. Et quidem probare tenetur modis legitimis, nempe per testes vel authenticam scripturam, Cap. 9. 10. & ult. bac nostra Quæst. Quod si legitimè probatum non fuerit, ab Ecclesia non compellebantur invicem cohabitare: liberum tamen eis erat clandestinè factum Matrimonium postea publicare, & palam notum facere in Ecclesia, à qua ratum habebatur, tanquam si ab initio in conspectu Ecclesiæ celebratum foret, cap. 2. de Clandestina Desp. quod desumptum est ex postremis verbis Can. 1. bac nostra Quæst. his nimirum: *Nisi voluntas propria & vota succurrerint legitima: ex quibus etiam & ex notatis Gratiani ad Can. 8. eadem Quæst. & ex d. cap. 2. constat si postea conjuges, qui clam contraxerint, erratum agnoverint, & publicè Ecclesiæ renuntiaverint, ratum haberi, & publicè solemnitatibus exhibitis reconciliari.* Quod necessarium est maximè post Concilium Trid. quo clandestina Matrimonia secundum Jus Ecclesiæ & civile vetustissimum irrita sunt, ut deinde dicimus.

Quid si medio tempore ex hujusmodi clandestino & irrito Matrimonio liberi suscepti forent? Post ratificationem & comprobationem Ecclesiæ liberi suscepti legitimi siebant, cap. 9. *exira qui filii sunt legiti. Confirmavit autem Ecclesia hujusmodi Matrimonia clandestina, si nullum aliud impedimentum supersit præter clandestini vitium.* Nam si aliud præterea subsit, propter quod Matrimonium dissolvetur, aliud

erit dicendum. Etenim s̄epissimè ideo clam & furtivè hujusmodi Matrimonia perficiuntur; quia publicè non permitterentur, si nempe ritus & ceremoniæ omnes ab Ecclesia & jure publico præstitutæ observarentur. Unde si e. c. in gradu prohibito cognationis, non palam, sed clam, licet inter ignorantes celebretur Matrimonium, eo casu ita dissolvetur, ut & proles medio tempore suscepta sit illegitima. Nec enim de parentum ignorantia liberi debent habere subsidium; quoniam eorum parentes clam & furtivè contrahentes, non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiae fuisse videntur, ut loquitur cap. ult. de *Clandestina desponsatione*.

Observandum verò ex *Can. 1.* *hac Quæst.* clandestina Matrimonia vetustissimo Jure Canonico planè irrita fuisse, sicut ostendunt verba dicti *Canonis*: *Aliter presumpta connubia, non conjugia, sed adulteria & contubernia, vel supra, aut fornicationes potius, quam legitima conjugia esse non dubitate.* Quod & antiquo Jure Civili Romano receptum fuit, quo furtivæ conjunctiones irritæ erant, argumento *Legis 7. Cod. de Repudiis & Legis 3. ff. de Concubinis*, ut rectè observavit Cujacius *lib. 6. Observat. cap. 20.* quamvis postea clandestini vitium solum non dissolveret nuptias, dummodo consensisse contrahentes probarentur. Quam in rem expressa est *Novella 74. cap. 4.* ex quo sumptus est *Canon 9. Casu xxx. Qu. 5.* *Jus* verò Canonicum antiquissimum, sicut & antiquissimum *Jus Civilis* prævaluerunt, ut modò dicemus. Ecclesia tamen perpetuò damnavit clandestinas nuptias, & publicari in Ecclesia jussit à Presbyteris, antequām contraherentur, (*an. 1. 2. & 6. hac nostra Quæst.* adhibitis ad id secundūm consuetudinem quorundam locorum denuntiationibus, quas Banna vocare solemus, eamque consuetudinem generaliter *Lateranense Concilium* sub *Innoc. III.* prorogavit ad omnia loca, *cap. ult. de Clandestina desponsat.* Per consuetudinem verò quorundam locorum intellige præcipue Ecclesiastum Gallicanarum, in quibus ab antiquo, etiam ante dictum Concilium Lateranense, denuntiationes sive Banna præcedere contrahendum Matrimonium debebant, ut constat ex *cap. 27. de Sponsalibus extra, juncto capit. ultimo qui Matrimonium accusare possunt.* Quæ duo capita ex *unico Rescripto Innocentii III.* desumpta sunt scripto ad Episcopum Bellovacensem; & extant pleniora & integriora in *4. collectione Decretalium* his verbis: *Bannis, ut tuis verbis utamur, secundūm consuetudinem Ecclesie Gallicane editis.* Quamvis justis & gravibus ex causis denuntiationum & bannorum hujusmodi publicationem ab Ordinario remitti posse Concilii Trid. Patres admittant *cap. 1. de Reformatione Matrimonii sessione 24.* in quo capite dignissima observatione sunt verba hæc, quibus *Jus antiquissimum ad versus clandestina Matrimonia reducitur.* Qui aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus, Matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat.

Postremò notandum *Canones 1. 10. & ultimum* non videri eorum Pontificum, quorum nomina habent inscripta. Sed desumpti sunt ex suppositiis quibusdam epistolis, de quibus in præfatione diximus. Nam *Canonis*

## AD CAUS. XXXI. ET SEQQ. DE SPONS. ET MATR. 133

ultimi 1. pars usque ad hæc verba ; *Nec litigantibus, desumpta est ex ipsis verbis Legis 1. Cod. Theodosiano de Iudicis.* Reliqua vero pars dicti Canonis est desumpta ex interpretatione Aniani veteris Interpretis ad dictam Legem 1. Cætera, quæ occurunt in his Canonibus, & in hacten Quæst. de variis ritibus & ceremoniis Nuptiarum, à viris doctis explicata pridem fuerunt, præcipue à Brissonio lib. in eam rem singulari de ritu Nuptiarum. Hoc tantum ad Can. 3. adnotabimus, qui desumptus est ex responsis Nicolai Papæ I. ad Consulta Bulgarorum cap. 3. quo ait apud Grecos eam fuisse consuetudinem, ut mares & foeminæ in capitibus deferrent ligaturas aureas & argenteas, quando nuptialia fœdera contrahebant. Quod quidem ex veteri ritu Paganorum fluxerat: quem ideo primi Christiani reprobaverant, qui novas nuptias more Gentilium prohibebant coronas ferre, ut notat Tertulianus de Corona Militis, ut omnis color & supersticio idololatriæ removeretur. Coronæ enim omnes in aliquius numinis tutela censebantur, cui per gestationem coronæ cultus & honor aliquis exhiberi videbatur. Postquam vero omnes idololatriæ cultus abolitus est, non improbavit Ecclesia usum coronarum & ornatum in nuptiis tam in Ecclesia Occidentali quam in Orientali. Et quidem in ipsa urbe Roma de Nuptiis Patricii Ricimeris cum filia Imperatoris Anthemii testis oculatus Sidonius lib. 1. epist. 5. ita loquitur: *jam quidem virgo tradita est, jam coronâ sponsus, jam palmata Consularis, &c.* Ad quem locum adhibe doctissimos Interpretes. Consuetudines vero pravas lampadum, chorearum, Scenicorum & Mimorum, quæ in nuptiis frequentantur, gravissimè reprehendit D. Chrysost. Homil. 56. in Genesim: *Plura de ceremoniis & diversis Nuptiarum solemnitatibus ex Conciliis, quam ex Pontificum constitutionibus in hac Quæst. referuntur à Gratiano, & pleniùs à doctissimo Antonio Augustino lib. 28. Epitomes Juris Canonici antiqui cap. 5.*

## AD QUÆSTIONEM PRIMAM.

### Cause XXXI.

**I**N prima parte hujus Quæstionis queritur, utrum & quibus casibus possit aliquis ducere in uxorem mulierem, cum qua, vivente uxore, commiserit adulterium. Quam quæstionem meritò Gratianus tanquam difficultem proponit. Nam generaliter & indistinetè in Can. 1. 3. & 4. videtur definiri, nullo casu eam posse duci in Matrimonium, quam per adulterium polluerit. Quod & probant Canones relati ab Antonio Augustino lib. 28. Epitomes tit. 21. quem titulum ita inscribit absolute: *Adulterio non potest ducere uxorem cum qua, vivente ejus viro, concubuit.* In quam etiam sententiam proclivior est Cujacius in tit. Decretal. de eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium. Unde & in Can. 2. qui est D. Augustini, plerique codices manuscripti & editiones meliores negationem habent ibi: *Fieri non potest connubium, cum quo præcessit adulterium.* Ubi tamen Gratianus negationem non habuit: imo nec etiam ante Gratianum doctissimus Hincmarus, ut constat ex Tractatu de Divortio Lotharii & Thetberga tom. 2. ejus operum editionis Parisiensi.

ultima pag. 560. 672. & 673. quo loci refert dictum locum D. Augustini, detractâ negatione; proindeque admittit absolutè cum ea muliere contrahi posse matrimonium, cum qua priùs præcesserit adulterium; dummodò priore marito mortuo, pœnitentiam de adulterio commissio uterque peregerit.

Duas tamen addiderunt exceptiones Gratianus & Pontifices, qui eum secuti sunt: quibus non permittitur Matrimonium, & si contractum fuerit dissolvitur, nempe si vir vel mulier, qui vivente uxore legitima, adulterio se polluerint, de contrahendo matrimonio fidem invicem derint, adhuc superstite priore uxore; vel etiam si consilium cœperint prioris mariti vel uxoris occidendi, ut ad scelestas nuptias pervenirent. Nec refert utrū eventus sequatur, vel non: sufficit machinatos fuisse, *Can. 4. 5. 6. bac Quæst. & cap. 6. penult. & ult. Extra de eo qui duxit in matrimonium.* Atque notandum, si prima uxore adhuc superstite, cum posteriore de facto, non de jure matrimonium contrahatur: & prior uxor per insidias & Machinationes sublata fuerit, nunquam posse hujusmodi Matrimonium posterius reconciliari; quoniam per necem primæ uxoris posteriores nuptiæ conciliatae sunt, *cap. 3. de eo qui duxit in matrimonium.* Nec admittenda distinctio Glossæ falsò desumpta ex *cap. ult. eodem tit.* si priore legitima uxore vivente, posterior uxor hujusmodi polluta non fuerit per adulterium, tolerari posse Matrimonium inter eos; si verò & homicidium & adulterium concurrat, non posse. Nam in specie quidem *d. cap. 3.* utrumque concurrebat, & homicidium & adulterium; & ab utroque se purgare debent, antequam Matrimonium consistere possit, ut doctissimè probat Ivo Carnotensis *epist. 170. editionis 2.* At si de facto Matrimonium proponatur, et si secuta non fuerit copula corporum, vivente priore uxore, quæ tamen per insidias perempta fuerit, consciâ posteriore uxore: eo casu, sicut diximus, verius est nunquam posse reconciliari flagitiosum illud Matrimonium. Si verò insidias prioris uxoris vitæ non struxerint, licet ea superstite, cum posteriore de facto contrahatur Matrimonium; modò tamen nec antè nec post secuta sit copula carnalis: pœnitentiâ utrique propter præmaturam properatarum nuptiarum spem & votum impositâ, non dissolvetur Matrimonium post prioris uxoris obitum; quæ est vera sententia *Capituli ultimi dicto titulo.*

Observandum tamen si ignorantem mulierem, vivâ uxore, ducat quis in uxorem contra jus omne divinum & humanum, quamvis nullum sit hujusmodi Matrimonium: mortuâ tamen uxore primâ non poterit maritus, qui posteriorem uxorem ignorantem decepit, divortium petere, ne de proprio dolo lucrum reportet. Poterit tamen mulier dissolutionem petere si velit, *cap. 1. & 7. eod. tit.* Quod si cum scienti muliere, etiam superstite primâ, Matrimonium de facto contrahatur, & liberi suscepti fuerint: tunc separandi sunt omnimodo conjuges, propter hujusmodi audaciam & contemptum Ecclesie: nec ex hujusmodi fornicatione & adulterio suscepti liberi erunt legitimi. Poterunt tamen, si adhuc sint ætatis ejus ut continere non possint, alias nuptias contrahere, post peractam scilicet de adulterio pœnitentiam. Nec enim propter solum adulterium eis perpetua continentia impenerit, *cap. 2. 4. & 5. eodem titulo:* in quo tamen *cap. 5.* (quod vide-

tur obstat) propter varias publici adulterii, perjurii, & provectionis præcipue ætatis circumstantias indicitur perpetua continentia; sicut etiam solet indicari, quoties vir aut mulier virum aut uxorem priorem occidisse convincuntur, *Can. 5. & 6.* *hac Causa & Quæst.* Hoc tamen singulare notandum ex dicto cap. 5. liberos ex adulterino & damnato coitu suscep-tos esse alendos à parentibus, & admoneri parentes, ut eis secundum fa-cultates suas necessaria ministrant: quod & confirmatur *capitulo per ve-nerabilem in fine extra qui sunt legitimi*, scilicet ex æquitate naturali: quia hujusmodi liberi non proprio, sed alieno vitio laborant.

Postremò quod dicitur in *Can. 8. 9. & 10.* & seqq. secundas, ter-tias, vel quartas nuptias damnandas non esse; id constitutum est adver-sus hæreses quasdam veteres, & novas, quæ unicas tantum nuptias ad-mittebant; secundas & reliquas contra manifesta Apostoli verba forni-cationes appellabant. In quo errore versatur autor *(anonis 9. in hac Quæst.* quem Chrysostomum non rectè appellat Gratianus: ejus enim autor est, qui opus imperfectum in Matthæum scripsit: qui liber ab initio Latinè scriptus est, & plures alios continet errores, à quibus longè alienus est D. Chrysostomus: quorum plurimos Sixtus Senensis in *Sacra Bibliotheca* retulit, & post eum Bellarminus in *Catalogo sa-crorum Scriptorum* in recensione librorum D. Chrysostomi. Gratianus tamen in eo secutus est communem errorem sui temporis, quo solebat illud opus tribui D. Chrysostomo: & malè. Nam qui extat hodie Com-mentarius D. Chrysostomi in Matth. longè diversus est.

### AD QUÆSTIONEM II. ET III.

**C**onsensum in nuptiis intervenire debere non tantum parentum, sed etiam eorum qui contrahunt, Jure Civili & Canonico receptum fuisse probavimus. Ille autem consensus non coactus, nec per metum expressus esse debet. Per metum intelligimus, non quemlibet pavorem & formidinem, sed atrociorem impressionem, quæ cadat in virum constantissimum, e. c. si vitæ periculum, omnium bonorum, vel existimationis & famæ immineat; sicut explicatur it. ff. *quod metus causa, & eodem titulo lib. 1. Decreral.* Unde in *Can. 1. 2. & 3.* *hac Causa Quæst* 2. si pater coactus & nolens filium aut filiam nolentes & contradicen-tes in Matrimonium tradant, hujusmodi Matrimonium non consistit: idemque dicendum, si filius vel filia tantum contradicentes & inviti à parentibus in Matrimonium collocentur.

Notandum verò in *Canone 2.* qui inscribitur Palea, & iterum refer-tur in *cap. primo Extra de Desponsatione impuberum*, patrem filium pu-berem invitum & contradicentem non posse tradere in Matrimonium, si aliquo modo non consentiat. Nam si quodammodo annuat, volens simul & nolens, nec contradixerit patri, reverentiâ paternâ voluntatem filii inflestante, qui si suæ spontis & arbitrii foret, non elegisset hujusmodi nuptias; Matrimonium tamen valebit: & in hoc casu coacta, ut ita dicam, voluntas, sive potius remissa, & non absolute libera sufficit. Quod ex Jure Civili repetitum est, ut constat ex *Lege 2. 21. 22. Dig. de Ri-tu Nuptiarum, & Lege 12. Cod. de Nuptiis.* Additur in d. *Can. 2.*

pater impuberem filium in Matrimonium tradiderit ; quamvis nondum habeat certum animi judicium , ut possit consentire ; tamen postquam hujusmodi filius ad pubertatem & perfectam aetatem venerit , adimplese omnino debet quod pater promisit. Quæ verba solutionem Glossæ ad dictum caput i. extra de despensat. impuberum , inanem & falsam esse ostendunt ; cum ait de honestate esse hoc intelligendum , non autem de necessitate. Nam verba Pontificis necessitatem absolutam imponunt. Et dicendum filium puberem rescindere non posse & dissolvere Matrimonium , quod eo impubere pater elegerat. Nam sicut dicitur in *Lege Quamvis* §. penult. ff. de acquirenda possessione , judicium impuberis pupilli infirmum suppleri autoritate & consilio tutoris ; ita pariter in hac specie multo magis dicere possumus , infirmum impuberis filii judicium suppleri & confirmari autoritate & consilio patris , perinde ac si ipse plenissime consensisset.

In *Canone* vero ultimo confirmatur quod diximus , non quemlibet metum efficere , ut semel contractæ nuptiæ dissolvantur ; sed qui tantum cadat in constantem virum , sicut declarant verba dicti *Can. ultimi* in hoc loco : *Metu hominis unius tantus Rex non debuit* , &c. Desumptus vero fuit ille *Canon ex Commonitorio Nicolai I.* dato Legatis Rodoaldo & Joanni , quos in Gallias mittebat , ut autoritate sua interessent Synodo habendæ & celebrandæ super divortio Lotharii II. Ludovici Pii nepotis , qui regnum Lotharingie & Burgundia Transviranz obtinebat , & Thetbergæ uxoris ejus legitimæ , quam insanè amore Valdrada pellit , in justè dimiserat : de qua lite plures *Canones* apud Gratianum referruntur , eamque in rem insignem tractatum edidit *Hincmarus Remensis de Divortio Lotharii & Thetberga*.

In *Quæstione 3.* unicus *Canon* refertur , quo poenitentia triennii imponitur & parentibus , & eorum liberis , qui sponsalium fregerint : excusatuntur vero parentes , si absque eorum consensu liberi soli fidem datam in sponsalibus fregerint ; quod desumptum est ex *Concilii Eliberitani Can.*

34:

## AD QUÆSTIONEM PRIMAM.

Causa XXXII.

**I**N hac r<sup>a</sup>. *Quæst.* quæstiones duæ proponuntur , utrum adulteram mulierem retinere liceat , etiam postquam vel deprehensa fuerit in adulterio , vel damnata ; nempe si postea eam poenitere contingat ; vel si dimissa fuerit à marito ex causa adulterii , eam maritus postea reducere possit. Secunda quæstio est , utrum cum ea muliere , quæ vulgo corpore quæstum fecerit , nuptiæ consistere possint eo scilicet casu , quo parata est mulier , poenitentiâ peractâ , mores castiores colere cum marito in posterum. Et quidem observandum ad 1. *Quæstionem* , licere uxori adulterii causâ dimittere : imò dimitti debere tam Jure Civili , quam Canonico. Jure , inquam , Canonico , si obstinata in flagitio permaneat , non poterit retineri etiam à marito volente : sed poterit retineri , si resipiscat. Jure vero Civili deprehensam in adulterio , vel damnatam , nec

nec maritus potest reducere, nec alius quilibet in uxorem ducere: alioquin in crimen lenocinii incidebat maritus, & in pœnas Legis Juliæ de adulteriis; sicut & extraneus quilibet qui eam duxisset. Dixi *deprehensam, vel damnatam.* Nam tantum suspectam sine crimine retinere poterat *Lege 29. ff. ad Legem Julianam de Adulteriis,* & *Lege 2. & 9. Cod. eodem tit.* Dimissa vero uxore ex adulterii causâ liberum erat marito aliam superducere uxorem; quoniam Jure Civili violato genitiliori planè dissolutum intelligebatur vinculum Matrimonii. Contra verò Jure Canonico si propter adulterium dimissa fuerit uxor, vel à marito diverterit; nec viro nec uxori aliis nuptiis implicari permittitur. Manet enim vinculum fœderis conjugalis, quod Deus ab homine solvi non posse pronuntiavit; et si nunquam reconcilietur: quod pluribus D. Augustinus docuit *hac eadem Causa xxxii.* *Quast. 7.* Nec obstat qui vulgo objici solet D. Ambrosii locus in *Can. 17. eadem Causa & Quast.* in quo differentia constituitur inter virum & mulierem; ut nempe uxor, quæ à viro discesserit, aut maneat innupta, aut reconcilietur viro. Ait verò, *ideò non idem de viro subdidisse D. Apostolum, quia viro licet ducere aliam.* Qui Canon quamvis tribuatur D. Ambrosio; ad illum tamen Canonem recte Romani Correctores observant, aliam omnino sententiam elici ex aliis scriptis D. Ambrosii; quæ eruditè adnotaverunt ad dictum *Canonem 17.* Quibus addimus, Commentarios illos in epistolas D. Pauli, qui tribuuntur D. Ambrosio, non esse D. Ambrosii, sed alterius; nempe Hilarii Diaconi, qui Luciferianus fuit, ut constat ex *Dialogo Hieronymi adversus Luciferianos* sub finem. Nam in illis Commentariis non illo tantum loco, sed & aliis plerisque, non recte fidei plurime reperiuntur opiniones: nec stylus planè convenit cum Ambrosiano. Quæ tandem controversiae postremò Concilio Trid. decisæ fuerant, & prævaluit major pars Latinorum Patrum & celebriorum ex Græcis, qui negabant posse superduci aliam uxorem, nisi prior, quæ dimissa fuerat, morte priùs sublata foret.

Observandum etiam in hac 2. *Qu.* recedere Jus Canonicum à Jure Civili in eo; quod Jure Civili non liceret indistinctè vel meretricem, vel scenicam mulierem, aut infamem in uxorem ducere, vel abjectæ aut humili conditionis: quas nuptias impares vocabant, & Lege Julia prohibebant inter Senatores, Equites & illustiores personas *Lege 23. 41. 42. 43. 44. & 49. ff. de Ritu nupt. & Lege 7. Cod. de Incastis & inutilibus nuptiis.* Jure tamen Canonico non tantum hujusmodi Nuptiæ comprobantur, sed etiam laudantur: imò & ad peccatorum remissio. nem proficere dicuntur; ut nempe retrahatur à peccato mulier, quæ vulgo corpore questum facit. *Quod & confirmatur Clementis IIII autoritate in cap. 20. exira de Sponsalibus & Matrim. quod cap. totidem verbis repetitur ab Innocentio III. lib. 1. Regist. pag. 70. edit. I.*

### AD QUÆSTIONEM II. ET III..

**I**N 2. *Quast.* queritur, utrum ea uxor sit, quam solā incontinentiæ causâ aliquis duxerit in uxorem. In qua recte Gratianus ad *Canonem 2. juxta Conciliorum & Patrum autoritates, quas postea subjicit, ref.*

PARS SECUNDA..

pondet hac distinctione adhibitā inter primam scilicet , & secundam institutionem Matrimonii. Prima institutio conjugii in Paradiso ante peccatum ea fuit , ut esset torus immaculatus , & honorabiles nuptiæ ; ex quibus sine ardore concupiscentiæ matres conciperent , & sine dolore parerent. Secunda institutio post peccatum , & extra Paradisum facta fuit in remedium incontinentiæ , quam B. Apostolus i. ad Corinth. cap. 7. significat : propter fornicationem , inquit , unusquisque uxorem , & unaquæque virum suum habeat.

Notandum in ipsa immoderatiore exactione debiti carnalis , quam non secundūm imperium præcipit , sed secundūm veniam concedit Apostolus , tolerari , ut etiam præter procreandi causam possint sibi misceri : & quamvis eos pravi mores ad talem concubitum impellant ; nuptiæ tamen à peccato defendunt. Nec enim illud propter nuptias admittitur , sed propter nuptias ignoscitur : & ad illicitos concubitus vitandos mutuam conjuges sibi debent quodammodo servitutem , ut loquitur D. Augustinus in Can. 3. Questione 2. dummodò tamen ab initio eo animo & voto Matrimonium contractum fuerit , ut perpetua & individua societas vita rectineatur ; non autem si ad tempus & concubitus solius & incontinentiæ causâ juncti fuerint , sicut in Can. 6. hac nostra Qu. 2. pleniùs explicatur.

In fine verò Quæstionis , nempe à Can. 13. usque ad finem , secundūm Jus Civile , de quo sæpiùs diximus , definitur parentum consensum desiderari in nuptiis , & absque illo consensu nuptias non esse legitimas : quod dictis Canonibus probatur. In quo articulo Jus Canonicum vetus cum Civili conveniebat : quamvis recentioribus postea displicerit ; tandemque Concilio Trid. mutatum sit. Jus verò vetus in Quæst. 3. Car. unico confirmatur , in quo queritur , utrum filia quæ sit in potestate avi ingenui , & cuius pater sit servus , debeat adhibere consensum patris , vel avi : & respondet Pontifex Pelagius , non patris , sed avi consensum spectandum. Cum enim pater sit servus ; nec videtur quidem habere liberum voluntatis propriæ arbitrium : & Jure Civili præterea , quo utebatur tunc temporis Ecclesia , servitute liberantur liberi à potestate parentum , perinde ac si mortui forent. Servitutem enim mortalitati comparabant.

#### AD QUÆSTIONEM IV.

**Q**uestio 4. est , utrum vivente uxore , liceat alicui filios ex ancilla quærere. Dubitandi ratio oriebatur propter Abrahæ , Jacob & aliorum Patriarcharum exempla , qui propter uxorum suarum sterilitatem , prolixi procreandæ causâ ad ancillas accesserant , ex quibus prolixi acceptam Deo suscepserunt. Verum hæc omnia ante Legem Mosis & Diluvium , tum propter generis humani raritatem , tum etiam propter mysticam & occultam quædam rationem Patres defendunt : & pro varietate temporum dispensatio illa divina habuit locum , vt constat ex Canonibus in hac Quæst. relatis : & ut D. Hieronymus loquitur in Can. 6. Servierunt Patriarchæ Legi & temporis suo ; serviamus & nos Evangelio & tempori nostro : quo qui post fidem Christi fornicatur , templum Dei violat.

Quinimò damnantur voluptates extraordinariæ & immunditiae in propriis uxoribus, & quales in meretricibus capi solent. Et ut D. Hieronymus loquitur *Can. 12. & 14. hac Quæst.* damnantur ipsa nuptiarum opera, si non cum honestate & verecundè, quasi sub oculis Dei fiant, & ut tantum liberis serviatur. Hujusmodi tamen nimius ardor & intemperantia in uxore propria, licet reprehendatur à Patribus, non punitur, tanquam si mortalis foret culpa; sed venialis est propter reliqua bona Matrimonii: ut ex sententia Patrum & Gratianus & Interpretes ad *Canonem 5. & 14. hac nostra Quæst.* notaverunt.

## AD QUÆSTIONEM V. VI. VII. ET VIII.

**I**N Quæst. quinta multis SS. Patrum autoritatibus definitur, si virgini vel inuptæ ituprum aut adulterium per vim inferatur, nec pudicitiam amittere virginem, nec adulterii ream esse uxorem. *Proposito enim animi permanente, per quod etiam corpus meruit sanctificari; nec ipsi corpori auferat sanitatem violentia libidinis alienæ, quam servat perseverantia continentiae sue;* ut ait D. August. *Can. 4. Quæst. 5.* & probatur pluribus Canonibus usque ad *Can. 14.*

A *Canone 15.* incipit agere de crimine adulterii, de quo aliquid initio hujus causæ diximus. Et quidem ad (*an. 14.* Gratianus ex D. Augustino adnotat, *Adulterium committi, cum vel propria libidinis instinctu, vel aliena consensu, cum altero vel altera contra pactum conjugale concubinatur, atque ita frangitur fides.* Quidem quidem adulterium nullo praetextu à viro, vel à muliere potest excusari, sive alter ex conjugibus languoribus & morbis confectus sit, sive absit: & quidquid excepta fornicatione horribile cogitari potest, alterutri contigerit, pro fide & societate sustineri debet. Nec est diversa causa vel conditio mariti aut uxoris. Christiana enim religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat (*an. 15. & 16. & seqq. tota Quæst. 5.* Quibus etiam probatur non tantum uxorem ex causa adulterii à marito accusari & dimitti posse; sed etiam maritum ab uxore: quod & confirmatur *Quæst. 6.* in qua dicitur, quamvis maritus vel uxor se invicem ex causa adulterii dimittere debeant; si tamen qui ex conjugibus accusat, ejusdem criminis adulterii reus sit, eum non videri admittendum, nec ut accuset jugalem, nec ut abjiciat. *Quæ in re Leges & Constitutiones Romanæ differebant à Divinis Legibus & Canonibus.* Nam Jure Civili mulier maritum adulterii reum postulare non potest: multoque minus ex illa causa recedere à viro. Adversus quas leges frequentissimæ sunt Græcorum & Latinorum Patrum querelæ, præcipue D. Basili, D. Chrysostomi, D. Augustini, cuius plurima referuntur tam in *Quæst. 6.* quam in 7. Et ex eo notandum *cap. 8. 9. 15. & ultimum lib. 2. de Adulterinis conjugiis ad Pollentium,* in quibus nobis conservavit pulcherrimum rescriptum Antonini, cuius verba retulit Ulpianus in *Lege 13. §. 5. ff. ad Legem Julianam de adulterio.* *Judex adulterii ante oculos habere debet, & inquirere an maritus pudicè vivens mulieri quoque bonos mores colendi autor fuerit.* Periniquum enim videtur, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibeat. *Quæ res potest & virum damnare, non rem ob compensationem mutui criminis inter uiros.*

*que communicare.* Id est in eo casu non ideo pœnam adulterii evitabit uxor, quia vir adulter est: sed uterque puniendus est. Imò mariti gravius, quanto magis ad eos pertinet & virtute vincere, & exemplo regere fœminas. *Can. penult. Quest. 6.* & ut eleganter ait D. Augustinus in *Can. ultimo Quest. 6.* maritum alloquens: *Vis domum tuam capite deorsum pendere?* Caput enim mulieris est vir. *Ubi autem melius vivit mulier, quam vir; capite deorsum pendet domus.* Quæ metaphora elegans desumpta est à Scenicis & Thymelicis, qui capite deorsum posito, & pedibus sursum erectis, incedere solent. Ad quam loquendi formam doctissimus Ivo Carpentensis allusit in *Epist. 247. 2. editionis* in fine.

In *Quæstione verò 7.* proponitur vexata quæstio inter Theologos, utrum ex causa adulterii damnata & dimissa uxore à marito, ea vivente, alteram dueere liceat; vel contrà utrum viro dimisso ab uxore ex eadem causa, quod Canones permittunt, superstite viro alteri nubere possit. In qua quæstione conveniunt D. Hieronymus & D. Augustinus & Canones Conciliorum Eliberitani, & Africanorum, aliorumque, qui in ista *Quæst. 7.* referuntur: quorum sententia nititur verbis Apostoli in *I. ad Corinth. cap. 7. Si discesserit uxor à marito, &c.* Ad quem locum venerabilis Béda ex D. Augustino lib. 1. de sermone Domini in monte cap. 26. ita scribit: *Quare non addit, excepta fornicationis causâ, quod Dominus permittit? Nisi quia similem formam vult intelligi, ut si dimiserit ( quod causâ fornicationis permittitur ) maneat sine uxore; aut reconcilietur uxori, Can. 3. Quest. 7.* Eandemque fuisse sententiam D. Basilii & D. Chrysostomi, & maximæ partis Græcorum Patrum nuper probare conatus est doctissimus Arcadius in *Concordia Ecclesie Orientalis & Occidentalis libro de sacramento Matrimonii.*

Quod verò solet objici ex *Can. 17.* *hujus Qu. 7.* qui vulgo tribuitur D. Ambrosio, ideo *Apostolum non subdere de viro, quod premisit de uxore:* quia licet viro ducere aliam. Rectissime ad illum Canonem Romani Correctores adnotaverunt contrariam sententiam D. Ambrosium asseruisse suprà in *Can. Nemo xxxii. Causa Qu. 4.* & in *Canone An quod xxxii. Qu. 2.* Et profectò verum videtur, quod adnotaverunt doctissimi viri Sixtus Senensis, Bellarminus aliique Commentarios hujusmodi in epistolas D. Pauli, vel D. Ambrosii omnino non esse, sed Hilarii cuiusdam Romani Diaconi & Luciferiani, qui antiquior paulò fuit D. Ambrosio; vel non esse puros Ambrosii, sed interpolatos. Quas etiam Gratianus & Interpretes ad *dictum Can. 17.* comminiscuntur, solutiones planè sunt alienæ à verbis & mente Autoris. Adeò enim certum est eum, qui dimiserit uxorem, non posse aliam superducere, dimissa vivente; ut qui dimiserit uxorem eo animo, ut ducat infidelem, eamque Christianam faciat, adulterii reus sit, nec valeat Matrimonium (*an. unico Quest. 8. & cap. 8. extra de divortiis.* Quod jus postremò Concilium Trid. confirmavit *sessione 24. Can. 5. 7. & 8. de sacramento Matrimonii.*

Excepta verò causâ adulterii, ex reliquis omnibus causis nunquam potest solvi Matrimonium Jure Divino; ex quibusc tamen Jure Civili dissolvatur secundum leges & constitutiones, quæ referuntur sub titulis de Repudiis & divortiis Digestis & Codice.

## AD QUÆSTIONEM I. ET II.

## Causa XXXIII.

**Q**Uæ occurrit in hac Causâ i. quæstio per vulgata est & celebris, an propter impotentiam coëundi & impossibilitatem reddendi debiti, vel vir à muliere, vel mulier à viro possit separari: & per consequens utrùm ille, qui ex conjugibus illo impedimento non laborat, aliud Matrimonium contrahere valeat. Subjicitur in fine, utrùm ex maleficij causa, sive fortilegii idem sit dicendum: eodemque modo titulus Decre-talium concipitur de Frigidis & maleficiatis.

Progressus juris in hoc articulo maximè observandus. Jure Civili Romanorum Castratus, id est qui sectus est, Matrimonium nec contrahere, nec adoptare, nec posthumum hæredem scribere potest: Spado vero hæc omnia potest, cui tantum frigiditas obstat, *Lege* 2. sub finem ff. de adoptionibus, §. sed & illud *Institutionibus* eodem, & ad eum locum Theophilus, *Lege* 39. ff. de jure dotium & l. 6. ff. de liberis & posthumiis. Legibus tamen Juliis, quæ ad Matrimonium & prolem procreandam cives Romanos pœnis etiam propositis incitabant, de Spadonibus aliquid cautum fuisse conjunctim conjecturam facit *Lex* 128. ff. de Verborum significatione. Quinetiam reperio in *Lege* 60. §. 1. & *Lege* sequenti ff. de Donationibus inter virum ut uxorem, saepe venire, ut propter sacerdotium, sterilitatem, senectutem, valetudinem, aut militiam di-vortium sequeretur: quia satis commodè Matrimonium retineri non poterat. Sed, ut ait *Lex* 62. eodem tit. illis casibus bonâ gratiâ Matrimonium dissolvebatur, id est inter volentes & communi consensu.

Tandem Justinianus in *Lege penult.* *Cod. de Repudiis* constituit, ut si maritus ab initio Matrimonii usque ad duos annos continuos, propter naturalem imbecillitatem non valeat se virum præstare, liberum sit mulieri, vel parentibus ejus, absque dotis amittendæ periculo, hujusmodi marito repudium mittere. Et posteà in *Novella* 22. ex qua sumpta est *Authentica* hodie *Cod. de repudiis*, triennium expectari voluit. *Quod & Jus Canonicum* admisit. Quæ causa repudii necessaria, & justa in speciem, primùm fuit inducta à Justiniano.

Jure vero veteri Canonico semel contractum cum frigido vel Spadone Matrimonium dissolvi non poterat, *Can. 18. & 27. Causa xxxii.* *Quo 7. in quo* ait D. Augustinus: *Manet vinculum nuptiarum, & si proles cuius causâ initum est, manifestâ sterilitate non subsequatur: ita ut jam scientibus conjugibus non se filios habituros, separare tamen se vel ipsa causa filiorum, atque aliis copulare non licet, sicut pluribus idem D. Augustinus disputat lib. unico de Bono conjugali cap. 7. & 15. & lib. 2. de Adulterinis conjugiis cap. 19. initio.* Quod & proprius ad Legem divinam accedit, quæ solam fornicationis causam excipit, propter quam divertere quidem licet, sed prohibentur secundæ nuptiæ, prima uxore superstite, sicut diximus. Romana etiam Ecclesia probavit magis ex causa sterilitatis, frigiditatis, vel maleficij non debere solvi Matrimonium; sed potius sic permanere debere conjuges & continentiam colere, ut eam, quam non